20

DE HYPOPYO:

Dem

Eyter-Aug

GRAVI AC INTRICATO AFFECTU OCULI

PERMITTENTE GRATIOSA FACULTATE MEDICA

PRÆSIDE

BURCARDO DAVIDE MAUCHART,

MED. ET CHIR. D. MED. ANAT. ET CHIR.
PROF. ORD. CONSIL. ET ARCHIATRO WIRTEMB.
FACULT. MEDICÆ h. t. DECANO

DISPUTABIT

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES DOCTORALES LEGITIME CAPESSENDI

RESPONDENS

PHILIPPUS FRIDERICUS GMELIN.
TUBINGENS.

die *Mart. MDCCXLII.*

TUBINGÆ, TYPIS ROEBELIANIS.

RARÆ VIRORUM TRIGÆ,
VIRO NOBILISSIMO, ac EXPERIENTISSIMO
DOMINO
GEORGIO ELIÆ HAAS,
CIVI ACADEMICO, PHARMACOPOLÆ PERITISSIMO,
AVUNCULO ET SUSCEPTORI SUO ÆSTUMATISSIMO:

VIRO NOBILISSIMO, ac CLARISSIMO,
DOMINO
JOANNI GAUM,
CIVI ACADEMICO, PHARMACOPOLÆ MERITISSIMO, VITRICO SUO, VEL PATRI POTIUS, SI FIDEM SPECTES, OPTIMO,
ET AD CINERES USQUE OMNI OBSEQUIO COLENDO:

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO,
DOMINO
JO. GEORGIO GMELIN,
MED. D. ET CHYMIÆ PROF. P. O.
FRATRI SUO GERMANO SUAVISSIMO, IN SIBERIA NUNC
DEGENTI, ET PETROPOLI MOX SALUTANDO,
IN TESTIMONIUM ANIMI

VENERABUNDI, OBSEQUIOSI, SINCERI,
PAGINAS HAS OFFERT AC CONSECRAT,

COGNATUS, FILIUS, FRATER,
PHILIPPUS FRIDERICUS GMELIN.

Q. D. B. V.

Hypopyum, ὑπόπυον est affectus oculi præternaturalis, quum pus in prima oculi regione, sive camera, inter corneam ac iridem colligitur, variaque visus & alia infert symptomata atque mala. Audit nonnullis etiam *Oculus purulentus*; aliis *Pus sub cornea*, & Germanis ein Eyter-Aug.

Hypopyum derivatur ab ὑπὸ, sub, & πύον, τὸ, pus; ut sic vi nominis denotet pus sub aliqua parte reconditum. Si nimis generali huic etymologiæ, quæ in omnes cadere videtur abscessus, specialior hinc addi determinatio velit: quod nempe præpositio græca ὑπὸ in compositione denotet interdum fieri aliquid sensim sensimque, simulque cum aliqua fraude, & vero ipsa puris in hoc oculi affectu collectio ac incrementum fiat ordinario sensim sensimque, ac subdole quasi, per me licebit.

Neque tamen vera & sufficiens strictæ acceptionis idea vel è bina hac radice, vel etiam addita hac tertia: si nimirum ab ὑπὸ, ὤψ, & πύον derivetur, hauriri potest; siquidem & aliæ habentur puris collectiones sub & in ipso oculo, quæ tamen loco, modo, genesi, symptomatibus & therapia sunt diversissimæ.

Hippocrates a) hypopyum prædicat de influxu puris in pectus. Ubi vero de oculis empyicis & hypopyicis, absque tamen definitione, loquatur, quod prætendit Woolhusius, nondum reperire potui? Hypopyi quidem homonymiam atque alienam à nostra significationem passim habet Hippocrates, b) ubi cavas sub oculis partes ὑπόπυα vocat.

Galenus vero & post eum græci authores alii, e. g. *Aëtius*, *Ægineta* &c. distinctius proponunt hunc affectum. Siquidem Galenus non

a) Hippocr. de genitur. in Oper. omn. edit. Foës. in fol. p. 230. l. 24. de iis, quibus pus influit in pectus, dicit: ὑπόπυοι γίνονται, purulenti fiunt, quales in Coac. Prænot. S. II. §. 140. p. 138. quoque vocantur ἔμπυοι.

b) Hippocr. de intern. affection. S. V. p. 537. lin 33. sed rectius ab Homero in Iliad. ὑπώπια, per ω & ι scribuntur. Hinc vitium orthographiæ non tam ab Hipp. quàm à descriptore commissum suspicor.

tantum in Isagoge c) quæ scil. vulgo tribuitur Ei, ὑπόπυον recenset inter illos affectus, qui iridem oculi infestant, sed & paulo post ita describit: d) Hypopyum universam iridem pure occupat, vel ejus dimidium: Et in Libr. de meth. med. refert idem Galenus e) inter affectus toto genere, sive tota substantia alienos à natura, ac à pure formari, nec non singulari encheiresi cujusdam ocularii, nomine *Justi*, tradit curari. Ex qua operatione ipsa patet, pus illud intra bulbum oculi anteriorem collectum ac mobile præsupponi, ut adhibito singulari motu succussorio è sede sua dimoveri ac è prima oculi regione per pupillam transire in secundam regionem & ibidem infra limbum pupillæ subsidere queat.

Paul. Ægineta f) hypopyum vocat oculum suppuratum & Galeni verba (not. e) modo allegata exscribit; alibi vero g) hypopium, ὑπωπιον, scriptum per ι in fine, h. e. sugillationem sive ecchymoma, sub palpebra inferiore obvium, confundit cum hypopyo, (quod est pus retro corneam) per y exarando in fine, imò h) hypopyum appellat & eam puris collectionem, quæ in ipsa tunica cornea coit, ungui humano forma non dissimilis, quæ etiam causa sit, cur hoc malum vocetur etiam unguis oculi.

Scilicet Galenus i) ὑπώπιον, per ω in medio, & ι in fine scriptum, sicque & ipsis literis in græco diversissimum ἀπὸ τῦ ὑποπύε solicitè distinxit, simulque, unde dicatur, diserte tradidit: Quod scil. sub oculis fiat (ab ὑπὸ & ὤψ) quasi quis dicat *Hypophthalmium*, & esse ex genere effusionum, ecchymomata dictarum. Communiter nos hodie vocamus sugillationes, unterloffen Geblüt, blaue Mähler. Si ejusmodi sugillatio se extendat ad ipsum bulbum & adnatam, veteribus audit *Hyposphagma*. In genere etiam ejusmodi sugillationes, promiscue obvias in corpore ab Aristophane in Vesp. itemque callos manuum in iis, qui assidui sunt in labore abs Suida vocari hypopia notat Scapula in Lexic. græco-lat.

Quam varia autem sit morbi ocularii, qui per metaphoram vocatur ὄνυξ, *unguis*, acceptio & dolenda mox cum hypopyo, mox cum pterygio

---

c) Galen. Isagog. C. XV. de oculor. affect. p. 58. edit. lat.
d) Id. ibid. p. 59. in initio.
e) Id meth. med. L. XIV. C. 18. ad finem.
f) P. Æginetа med. totius Enchirid. L. VI. C. 20.
g) - - - - - L. III. C. 25.
h) - - - - - L. III. C. 22. Tit. de oculi sugillationibus suppurationibusve.
i) Galen. de compos. med. sec. loc. L. V. C. 1. passimque alibi.

pterygio confusio, tam è priscis, quam recentioribus dispalescit authoribus. Nimirum ὄνυξ, unguis Authori Finit. med. (quem nonnulli Galenum esse contendunt) ita, k) sed obscure satis describitur: Suppuratio sive unguis (πύωσις ἢ ὄνυξ) est collectio puris in nigro l) cum inflammatione secundum iridem ungui consimilis. *Æginetæ* m) ὄνυξ vocatur, cum membrana cornea purulenta efficitur, nunc altius, nunc in superficie, ita ut pus habeat unguis figuram; quæ causa est, ut hoc malum unguis nominetur. *Aureliano* n) dicitur ὄνυξ, unguis: in oculi circulo nata macula albida, quæ in unguis similitudinem, nascentis l. crescentis lunæ cornibus respondens paulatim sumit augmentum.

Aëtius o) paulo accuratius unguem definire censetur abs Gorræo in definit. medicis, quando Ille sic habet: ὀνύχια sive ὄνυχας dici, cum ab ulcere profundiore pus defluere & inter tunicas illapsum ac in circulo iridis figuratum, unguis resecti imaginem refert; Hypopyum vero idem Author dicit multo abundare pure & dimidium nigri occupare aut per totam tunicam corneam pellucere. Ideoque πυώσεως duas constituit quasi species, ὄνυχα & ὑπόπυον, sic tamen, ut differentiam in sola unguis similitudine ponat, quæ ἐν τῷ ὄνυχι perspicua, ἐν τῷ ὑποπύῳ nulla sit.

An vero puris vel quantitas, vel figura merito duas affectus species constituere ac diversas denominationes efficere debeat, è principiis tam logicis quam medicis merito dubitatur? Unde ego quidem potius assurgerem doctissimo illi ophthalmiatro, *Guillemæo* p) qui Pyosin pro genere constituit, unguem vero & hypopyum pro speciebus,

k) Finit. med. p. 48. b. edit. latin.

l) κατὰ μέλαν· vertit Barthol. Sylvanius Salonens. it. Foësius, in nigro, & πρὸς τῇ ἴριδι, secundum iridem. Quamvis autem fortasse rectius *illud* reddatur: circa nigrum: *hoc* circa l. prope iridem, tamen neque hæc emendatio nodum solvit.

m) Æginet. Enchirid. L. III. C. 22. Quæ ibid. allegatur ὑπόπυος ὁ κεραλοειδὴς, cornea purulenta recte vertitur à Stephano in vocab. med. Expos. à Foësio pariter in Oecom. Hipp. tit. ὄνυξ. male vero ab Alban. Torino in version. lat. qui sic reddit: Hypopyon in cornea oculi membrana quandoque nascitur. Atqui vero ὑπόπυος heic adjectivum est, purulentiam in genere denotans, non substantivum, non τὸ ὑπόπυον, de quo nobis sermo est.

n) Cœl. Aurelianus Acutor. L. II. C. 32.

o) Aëtius Tetrabibl. L. VII.

p) Joh. Guillemeau in Tract. de morb. oculor. Cap. de hypopyo, quod quidem ultima syllaba male scribit per simplex i.

sic ut *unguis* vocari debeat, *quum materia purulenta colligitur inter membranas corneæ circa iridem*, ubi tum vel ungues resectos, uti Guillemæus aliique explicant, vel lunulam illam albidam ad radicem unguis digitorum hominis refert. Hanc unguis denominationem tuetur inprimis etiam Woolhusius & nonnulli alii.

Neque tamen contentionis ferram reciprocabo cum illis, qui l. authorem finit. med. l. Aëtium, l. recentiores, qui hos secuti sunt, prætulerint atque unguem appellandum mordicus contenderint, quando exigua puris quantitas sub cornea in prima oculi regione, in circulo iridis figurata instar unguis resecti delitescit.

Quam siniſtre vero latini interpretes Galeni affectum oculi, qui ab Ipso vocatur ὄνυξ, verterint pro lubitu per pterygium q) & quam male unguis cum pterygio confundatur, solo hoc, ut reliquos taceam, Galeni loco r) dispalescit quam clarissime: *Pterygia*, inquit enim, germina sunt adnatæ oculis extrinsecus membranæ, quæ ab ipso perioſtio delata ad coronam pervenit.

Nec me *Celsi* s) authoritas moratur, qui Græcorum πτερύγιον, membranulam nervosam, orientem ab angulo, quæ nonnunquam ad pupillam quoque pervenit eique officit, unguem vocitavit oculorum, cum multo rectius nomini non saltem, sed ipsi quoque rei convenientius *Alulam*, alam in diminutivo, latine reddidisset Græcorum πτερύγιον. Hunc vero erroris Ducem, & in ophthalmiatria parum, ut videtur, versatum, licet alias præstantissimum authorem, secuti sunt postmodum recentiores quamplurimi.

Alii loco ac tempori servo, quæ l. de ungue, l. de pterygio plura dici possunt ac debent; sufficit pro instituto præsenti, ex ipsis fontibus distinctas suppeditasse notiones modo recensitorum affectuum. Unde ergo jam patet hypopyo nullam plane affinitatem intercedere cum pterygio & ab ungue oculi facile distingui, quod in hypopyo sit pus sub cornea, inter hanc & iridem effusum, collectum, atque stagnans, in ungue vero hærens adhuc in ipsa cornea, plus minus profunde, inter hujus tunicæ lamellas.

Diapyesis

---

q) Edit. octava Oper. Galeni, latine redditor. Venet. in fol. 1609. Exempla malæ versionis præbent hæc loca: de simpl. med. facult. L. VIII. Titul. Tithymal. it. L. XI. Tit. Sepia. It. de Different. morb. CXIII. circa med. & fin. It. de Tumor. CXVI.

r) Galen. de Tumor. præternat. Cap. ult.

s) Cornel. Celsus de re med. L. VII. C. 7.

Diapyesis vero (sive *Empyesis*) vocatur is oculi affectus, quando pus inter uveam & lentem crystallinam colligitur in sic dicta camera secunda sive posteriore oculi. Huc redit definitio Diapyesis Galenica: t) quod sit collectio humoris exigui circa ipsam pupillam, qui difficulter evaporat ac discutitur, suffusione (ὑποχύματος) siccior.

Quamvis autem binus hicce affectus, hypopyi & Diapyesis nonnisi loco puris collecti differre videatur, imò pus hypopyi mutare locum & in secundam oculi regionem transire ac diapyesin formare queat, nihil tamen obstat, quo minus specie distinctos faciam affectus, cum non loco tantum, sed & symptomatibus, prognosi ac curatione multum differant.

Loco puris, quod hypopyum format, effusus in prima oculi regione observatur aliquando sincerus sanguis, rutilus, eodem modo incrementa capiens, quo hypopyum; observavi talem casum in puella decenni, cui ab ictu globuli, è limo exsiccato parati, in oculum mediante arundine pnevmatica fortiter impulsi brevi post insignis copia sanguinis extravasati collecta est, ad pupillam usque assurgens, in prima oculi camera, diligenti quidem & tempestiva sacculorum resolventium, in vino coctorum, adhibitis simul internis temperantibus, & vesicatorii in brachio istius lateris applicatione, intra triduum penitus dissipata, oculo visuque salvis. Hanc sanguinis effusionem sive quis *Hypochyma Hæmatodes*, suffusionem sanguineam, sive *Hypohæma* vocare malit, mihi perinde est? Ego ultimam hactenus prætuli denominationem.

Supereſt, ut *cataractæ membranaceæ*, instar albidissimi & floccosi phlegmatis aliquando, sed rarissime, *in oculi regione anteriore* l. suspensæ & fluctuantis, l. ad fundum subsidentis ad circulum internum corneæ u) nec non frustulorum & *fragmentorum lentis crystallinæ*, in particellas concisæ & discerptæ sub operatione cataractæ aut vulneribus oculi, *inter corneam & iridem diffusorum*, atque pus mentientium tenacius & concretum quasi, discrimen à vero hypopyo paucis addam:

Cataracta nimirum talis phlegmatica, floccosa rarior est atque multo albidioris atque nivei coloris, consistentiæ tenacioris, non adeo fluxi-

---

t) Isagog. sive Introduct. de oculor. affect. C. XV. circa fin.

u) Rarioris ac curiosissimæ talis cataractæ membranaceæ solidæ, fibrosæ, albidæ, è regione oculi posteriori protensæ per mediam pupillam in regionem anticam, ibidemque affixæ circulo interno corneæ, ex anatome canis, descriptionem exhibui olim in den wochentlichen gelehrten Neuigkeiten zu Tübingen An. 1735. Tit. Tübingen.

fluxilis uti materia hypopyi purulenta, cameræ anterioris cavum inferius non æqualiter replet, nec ſub oculi frictione & capitis reclinatione in cameram poſteriorem facile recedit, quemadmodum fit in hypopyo, nec denique moleſtis dolorificisque ſtipatur ſymptomatibus, niſi quatenus, velum obducendo pupillæ ac cryſtallino, viſum impedit, l. abolet. Fragmenta & fruſtilla lentis cryſtallinæ, l. forte fortuna, l. ſtudio, quod ſubinde fit, conciſæ per operationem cataractæ, vel vulnere quodam diſcerptæ ſolent haud raro, naturali ſede relicta, commigrare in anticam oculi regionem ibidemque ad fundum ſubſidere ac hærere aliquandiu, hincque ignaris imponere pro hypopyo. Sed facile diſtinguitur una, l. plures ejusmodi particulæ cryſtallini, tanquam ſolida, albida diſtincta corpuſcula, in humore aqueo l. ſuſpenſa, l. fluctuantia & ſe motitantia per frictionem oculi, qui ipſe cæteroquin, niſi ſtatim ab operatione ſiniſtre adminiſtrata alium quoque ſtatum incurrerit morboſum, nec turbidus, nec inflammatus, nec ulceroſus exiſtit.

Eſt denique & *cataracta*, quam vocant, *lactea*, quæ dum acu ſub operatione ordinaria cataractæ, perfoditur, lympham ſuam fluxilem, albidam inſtar lactis, ſtatim diffundit per ambas oculi cameras, ac in harum anteriore ita tingit & obſcurat humorem aqueum lacteo colore, ut iridis ac pupillæ conſpectum impediat & obvelet, ſucceſſive vero lymphæ hujus lacteæ portio gravior fundum petat & hypopyum verum ſi non conſtituat, tamen ſpecioſiſſime referat; quiete vero, mora ac medicamentis topicis reſolventibus ordinario intra paucos dies iterum diſſipetur. Igitur ſive hanc ipſam veram hypopyi ſpeciem facias, ſive non, differt tamen manifeſte & modo generationis & ſymptomatibus & tempore durationis, ita ut ſi non è veſtigio ſtatim dignoſcas à vero & ordinario hypopyo, brevi tamen poſt dijudices facile.

Si qui globuli mercuriales in hominibus inunctionem & ſalivationem mercurialem paſſis, aut è frequenti deauratione atomisque mercurii vivi intro hauſtis fluctuent, quod Woolhuſius obſervavit, in fundo primæ regionis oculi, quemadmodum facili negotio dignoſcuntur à vero pure, l. lympha, vel flocculis aliis, ita per operationem quæ vero deſtinatur hypopyo, facile pariter ex oculo dimittuntur & evacuantur.

Ipſius ſynonymiæ ac homonymiæ diſcuſſio me induxit, ut aliqua de ipſis phænomenis hypopyum conſtituentibus prælibare coactus fuerim extra ordinem. Jam vero in viam rediens primo aggrediar *hiſtoriam hypopyi medicam* per *Phænomena antecedentia, conſtituentia & concomitantia*, ac denique *conſequentia*; deinde ſuccinctam *Pathologiam* ac *Ætiologiam*

logiam ſubnectam, finemque imponam *Therapia* ac aliquot *caſuum practicorum recenſione.*

Phænom. antecedanea è cenſu rerum natural. & non-natural. nullum fere reſpectum involvunt ſpecialem in ordine ad hypopyum. In genere vero concurrunt, quatenus l. plethoram, l. ſanguinis orgasmum & raptum ad oculos, l. ſtaſes inflammatorias ſanguinis, l. excoriationes, eroſiones, ulcerationes varias in partibus oculi in- & externis efficiunt atque poſt ſe trahunt, in hypopyum deſinentes. Par ratio eſt cauſarum antecedentium ex ordine rerum præternaturalium. Scilicet varia corpuſcula heterogenea, oculis illapſa, l. infixa: arena, calx viva aliaque acria & cauſtica, feſtuca ligni, chalybis laminula &c. ictus, contuſio, vulnera, morbilli, variolæ (quæ ſicut oculis inſidiantur in genere, ita etiam in ſpecie reſpectu hypopyi) cephalæa, ophthalmia, maxime ſi hæc adſtringentibus frigidisve medicamentis intempeſtive ac imprudenter repellatur: Quatenus hæc omnia irritationem, affluxum, inflammationem, ſanguinis congeſtionem, extravaſationem, ſuppurationem, abſceſſum, ulcus in tunicis oculi efficiunt purisque collectionem in prima oculi regione, ſicque hypopyum ſtabiliunt.

Phænom. conſtituentia & concomitantia hæc ſunt: Pus ab initio albidum, dein ſucceſſive flaveſcens magis magisque, quo diutius nempe moratur altiusque aſſurgit, effuſum collectumque inter corneam ac iridem, primo minore quantitate in fundo hujus regionis, infra pupillam ſe manifeſtat in confinio iridis ac corneæ, ſive ad hujus circulum internum inferiorem, & tunc ſegmentum ſphæræ ac lunam quaſi cornutam refert, ut ideo *Lunula* nonnullis audiat; deinde magis magisque augetur quantitate, ut non modo ad pupillam adſcendat usque & per eam tranſeat in ſecundam oculi regionem, ſed etiam quandoque totum primæ regionis ſpatium occupet totamque iridem atque pupillam obtegat; Sæpius tamen in mediocri quantitate perpetuo, citra incrementum, ſubſiſtit pluribus non modo diebus, ſed & ſeptimanis. Globoſa bulbi configuratio, & prominula convexitas corneæ vel in ſalvo manent, vel in ellipticam prominentiam anterius acuminantur.

Pupilla ſegniorem obtinet contractionis atque dilatationis, quo naturaliter gaudet, motum, & quanto plus augetur copia puris, tanto magis anguſtari pupillam obſervavit Woolhuſius. Qui morbus vocatur μείωσις, imminutio, extenuatio pupillæ, ſcil. cum juxta Ovidium

\- - - fit luminis arctior orbis.

Lumen moleſtum eſt & dolorificum: viſus obſcuratur magis magisque, fit nebuloſus, & tandem vix luminis & tenebrarum remanet perceptio. Jungitur utplurimum ophthalmia externa & interna, atque

corneæ nebulosa & ulcerosa obscuratio in superficie l. convexa, l. concava, l. in medio inter ejus lamellas. Dolor etiam pulsatorius, terebrans in ipso oculo affecto, capite ac tempore lateris affecti vehemens, immanis, sive continuus sive periodicus, nauseæ, febris symptomatica, inflammatoria, agrypnia pertinax, & ipsæ tandem convulsiones superveniunt, ut tum non æque agatur amplius de oculo, quam de ipsa potius vita.

Hæc vero ultimò dicta de summa dolorum, febris ac convulsionum atrocia & periculo rarius obtingunt, maxime cum debita tempestive adhibetur cura. Solent quidem utplurimum alii etiam affectus ocularii cum hypopyo complicari & simul adesse, sed cum nihil ad essentiam & formale hypopyi faciant, illos prætermittimus. Differentiam specificam ab aliis congeneribus affectibus jam præmisimus in primis hujus dissertatiunculæ paginis.

Phænom. consequentia: Pus quo copiosius, acrius, & flavidioris est coloris, eo majorem incutit metum arrodendæ, destruendæque non modo iridis, sed etiam corrumpendæ totius internæ oculi structuræ & suppurationis destructoriæ, quæ *Sepedon* vocatur. Hinc scil. fit, ut cornea erodatur, perforetur atque crepet, & tunc *Proptosin* sive procidentiam uveæ post se trahat, vel *fistulam* relinquat: aut iris à cornea, cui adhæret in basi circulariter, divellatur, & postea motum præternaturalem tremulum, subsultorium, perpetuum incurrat, qui *Hippus* dicitur: aut iris, dissipato, evacuato pure, cum interna corneæ superficie concrescat p. n. ac *Synekiam* efficiat: Aut crystallina lens ligamento suo ciliari & tunicâ arachnoideâ solvatur & è sinu vitrei excidat, inque anteriorem oculi regionem elabatur; sub his autem gravissimis morbis & destructionibus non modo visus, sed & oculi naturalis configuratio periclitentur, imo, aucta inflammatione & oculi & cerebri vel hujus meningum, ipsa mors subsequi possit.

Inter phænom. consequentia levioris momenti numeranda puto si primo color iridis in oculo affecto è naturaliter griseo vel cæsio in fuscum, nigrum mutatur, talisque, superato etiam hypopyo, permanet, atque *Ochromaton* & speciem *Heterophthalmiæ* constituit, quod Galli vocant: *des yeux de deux paroïsses*. Secundò, quum visus non semper adeo perfectus, & acutus, qualis antea viguit, restituitur post hypopyum, sive medicamentis, sive chirurgica operatione sublatum. Tertio, quum macula levis vel cicatricula remanet eo corneæ loco, ubi vel à pure, exitum sibi parante, vel ab instrumento chirurgi in operatione fuit perforata, dummodo nec ampla nimis nec è directo pupillæ sit obversa. Imò sunt, qui, quartò, si non de restitutione in totum, ta-

men in tantum ſibi gratulantur, & licet ipſi altero oculo viſum amiſerint, contenti nihilominus ſunt, ſi modo hunc defectum non videant & obſervent alii.

Scilicet ſpes reſtituendi viſus maxime vacillat, cum pus copioſum acre internam oculi œconomiam corruperit, aut corneam in medio profunde arroſerit & exulceraverit, itemque ſi diu vel plane nulla, vel inepta fuerit adhibita medela. A puris ſuſpecta flavedine ac diuturniore mora tamen non certam deſumi prognoſin, in ordine ad viſum plane non amplius recuperabilem, experientia docuit, prout ad calcem hujus diſſertationis obvius alter caſus, num. I. alter num. III. reſtituti ſimul per medicamenta coloris naturalis iridis teſtantur. Sed evincit & idem III. caſus, viſum, ſuperato feliciter hypopyo, ſucceſſive reſtitutum nihilominus aliquandiu poſt denuo poſſe periclitari.

Operationis vero chirurgicæ, quam ſubnectam, uti paſſim ſumma eſt neceſſitas, ita eximius etiam uſus, tam ad ſymptomatum gravisſimorum, præcipuè doloris atrociſſimi mitigationem & ablationem, quam ad viſus conſervationem atque reſtitutionem, nec non deformitatem oculi variam evitandam atque corrigendam. Si alea ceciderit è voto, una fidelia tres hi parietes dealbantur. *

Vulnuſculi per operationem inflicti facile obtinetur conſolidatio, & minima remanet, ſubinde vix perceptibilis cicatricula, quæ viſui non præjudicat, cum ſit infra pupillam. Non diffiteor tamen, ſub ipſa hypopyi operatione, cum pus ac humor aqueus artificiali corneæ foramine effluxerunt, lentem cryſtallinam aliquando protrudi intra foramen pupillæ, imo ſi à ligamento ciliari & tunica propria ſit ſoluta & ſeparata, ulterius in primam oculi regionem aberrare poſſe. Obtigit Woolhuſio prior caſus, ubi tamen, immiſſo in vulnus, per operationem hypopyi ante factum, ſubtili ſpecillo, cryſtallinum feliciter repreſſit, viſu poſtea in integrum reſtituto.

Ideoque ut in ſumma dicam: Hypopyum eſt affectus gravis & periculoſus, qui tempeſtivam ſolicitamque ſibi vindicat curam medicam atque chirurgicam, qua mediante æger, doloribus, periculo, cœcitate, deformitate feliciter utplurimum liberatur.

* Fallitur profecto Bidlous, qui, in ſuis Exercit. anat. chir. p. 92. locutus de tumore purulento, inter lamellas corneæ orto, hi, inquit, ſunt illi oculi purulenti, quos cum Paræo & aliis ſe, ſalva viſione, curaviſſe neotericorum referunt quidam.

PARS II. PATHOLOGICA.

Hypopyum sive referatur ad *morbos conformationis* in cavitatibus, alieno liquido repletis & infarctis, sive ad *classem symptomatum in excretis*, quatenus pus consuetos abscessus carceres perrumpit & in alienam secedit cavitatem, quodque symptoma sequatur morbum l. intemperiei inflammatoriæ, l. meatuum, l. solutæ unitatis, parum referre videtur.

Subjectum morbi primarium est spatium illud inter corneam & iridem, camera vulgo, sive regio anterior oculi dictum, quod naturaliter maxima humoris aquei (qui vero cum albumine ovi à veteribus rectissime comparatus, dicendus potius esset albuminosus) portione totum quantum repletur, hujusque spatii pars maxime inferior, ad circulum internum & inferiorem corneæ.

Subjectum causæ varium est: in cornea, iride, uvea, circulo corneæ, quem Græci στεφάνην appellarunt, sive coronam, ubi scil. oculi tunicæ in circulo coëunt. *Causa proxima* est l. abscessus inter lamellas corneæ ortus, atque intrò ruptus: l. pustula, cum inflammatione conjunctivæ, circa corneæ circulum externum, eo loco, quo tunicæ oculi in circulo coëunt: l. exulceratio in corneæ interna superficie: l. abscessus pustulave uveæ, in ejus sive antica, sive postica superficie: l. sanguis intra cavum regionis anticæ oculi extravasatus & in pus abiens.

Pus hoc, ex abscessu, pustula, exulceratione magis magisque promanans, aut è sanguine suppurato genitum, *agit*, quatenus gravitat in iridem, supino maxime jacente ægro: quatenus turbat pellucidum humorem aqueum: qua corneam obfuscat, & denique ipsam pupillam obtegit ac infarcit: quatenus in regionem oculi posticam trajicit, ibidemque obvias non minus tunicas, ac sic dictos humores inquinat, & inveterascens denique contrahit acrimoniam atque sic irritando, stimulando, rodendo, exedendo, dolores non modo & affluxum auget, sed totam quoque oculi œconomiam ac structuram internam corrumpit atque destruit. Tenacem vero hujus puris spissitudinem ipsa prodit operatio chirurgica, qua, nisi amplius corneæ infligatur vulnusculum, tenax lentumque pus exire renuit.

Causas remotas in prima parte, historica nimirum, jam attuli; quare nunc ultra prograediar, & *hypopyi phænomenorum* potiorum *reddere rationem* tentabo: Et primo quidem, cur segnior sit, qui aliàs pupillæ naturalis est, vividus satis, reciprocus dilatationis & angnstationis motus, tandem vero, crescente puris, iridi incumbentis mole, pupilla magis magisque angustetur talisque permaneat? Phænomenon hoc explicatu

catu tanto est difficilius, quanto majoribus dubiis subest structura processuum ciliarium musculosa eorumque actio, tum & ipsius sic dicti sphincteris pupillæ annulares fibræ nondum penitus extra controversiam positæ sunt. w) Supponam vero, ex mente plurimorum, quod proceſſ. ciliar. motrices fibræ se contrahendo dilatent amplientque pupillam; remittendo autem & relaxando sese, angustent & constringant pupillam, quatenus sic fibris annularibus pupillæ, naturaliter in constrictionem tendentibus, minus resistunt. Jam igitur cum materia purulenta incumbat iridi, hancce premat & aggravet, sicque tenerrimas illas fibras processuum ciliarium comprimat, quo minus inflari, turgescere & se contrahere possint, necesse est, & pupillam ab initio immobilem, i. e. in eadem diametro, perstare, &, aucta magis magisque per puris incrementum modo accusata compressione, diametrum pupillæ magis quoque constringi ac angustari.

Præternaturalis & diversus ab altero oculo color iridis, in fuscum, bruneum, l. nigricantem mutatus, qualis subinde per hypopyum inducitur, à vasculorum, quæ diversimode coloratum in variis hominum iridibus humorem vehunt, obstructione videtur pendere, quæ impedit, quo minus possit trajicere & secerni per illa dilutior minusque tinctus humor cæsius, l. griseus; obstructionem vero hanc, quam suppono, deduxerim l. à compressione ob incumbens pus, l. à stagnatione ac stasi sanguinis & lymphæ in subtilissimis atque numerosissimis uveæ vasculis x) l. & ab utrisque simul. Confirmat hanc obstructionis hypothesin ipsa quoque therapia, quum applicitis oculo epithematibus & sacculis resolventibus, & administrata sanguinis ventilatione specialissima per ophthalmoxysin, inductus iridi p.n.lis color fuscus successive restituitur in naturalem dilutiorem.

Si cum stagnatione ac stasi sanguinis in iride concurrat iridis ac corneæ concavæ ulcerosa excoriatio, hæque duæ tunicæ fiant contiguæ post evacuationem sive spontaneam sive chirurgicam puris ac humoris aquei, facile fieri potest, ut l. in totum, l. quoad partem iris cum cornea concrescat præter naturam utriusque superficies excoriata coalescat.

v) Vid. Memoires de l'Acad. des Sciençes An. 1704. it. Morgagni Adversar. anat. VI. Animadvers. 69. p. 88.

x) In genere loquor de vasculis uveæ; nimis enim longum foret ac à præsenti alienum instituto, si obscuros nondumque satis detectos colorum iridis ac uveæ fontes rimari, ac de vasis illis, à Stenone vorticosis dictis: de circulo arterioso & venoso: de reti vasculoso & vasis nevro-lymphaticis Hovii, &c. commentari vellem.

Si pus in prima regione oculi detentum partim gravitate ſua, partim acrimoniâ, aut abſceſſus iridis in ipſo circulo interno corneæ membranam iridis perforet ac à ligamento ciliari, quo mediante adhæret corneæ in circulo, ſeparet, ſolvatque, *Hippum* ideo conſequi puto, quod fibrillarum iridis muſcularium aliquæ, à ſuo principio & puncto fixo ſeparatæ inæqualem & tremulum incurrunt motum ac palpitationem, cum reliquæ integræ relictæ ſe contrahunt ſub actione ſua muſculari.

Denique quod phænomena hypopyi in ordine ad ſenſum viſus, l. dolorificum, l. imminutum, l. abolitum concernit, quoad primum par ratio eſt cum tantum non omnibus ophthalmiis, ex irritatione & tenſione fibrillarum nervearum & muſcularium l. ſpasmodica, l. inflammatoria, per acceſſum & illapſum lucis, fortioris potiſſimum, adaucta ſicque dolorifica facta; viſus autem l. imminuitur, l. aboletur, ob corneam obfuſcatam, humoris aquei impuritatem, pus ſpiſſius minusque diaphanum, pupillæ obverſum, lentem cryſtallinam vitreumque corpus inquinata, opacata, retinæ nervique optici obſtructionem, compreſſionem &c.

PARS III. THERAPEVTICA.

Therapia has ſuppeditat indicationes:

1) Ulteriorem humorum affluxum atque puris collectionem, effuſionem, ſtagnationem arcere, impedire.
2) Pus in primam oculi regionem effuſum diſſipare, reſolvere inſenſibiliter, vel, ſi minus poſſibile tutumve videatur,
3) Illud ipſum pus evacuare per vulnuſculum corneæ infligendum operatione chirurgica.
4) Dolores mitigare,
5) Viſum confortare, acuere, ſuperato jam hypopyo.

Itaque mihi ſermo potius erit de hypopyo jamjam præſente, quam de futuro ſive imminente. Hæc enim indicatio prophylactica ſpectat magis ad illorum affectuum tractationem, à quibus hypopyum oriri poteſt atque ſolet, facili etiam negotio eruitur ex illis, quæ ad primam atque ſecundam pertinent indicationem.

Primæ indicationi ut ſatisfiat, ſanguis & copiâ eſt minuendus & aliorſum revellendus, & in minimis oculi vaſculis ſanguineis ſtagnans reſolvendus: Cacochymia blandis laxantibus per ἐπίκρασιν educenda temperatisque diaphoreticis incidenda, eliminanda: Omnia calefacientia, ſanguinem exagitantia vitanda: Decubitus capite magis erecto

quam

quam declivi instituendus: Collum l. plane non, l. laxius saltem collari stringatur.

Venæsectionis maximum heic est præsidium, primo revulsoriæ in vede κατ' ἐξιν, dein si repetitione opus sit, in brachio vel jugulo derivatoriæ, in latere affecto instituendæ, aut venæ frontalis, quam in oculorum morbis frequenter mittit Celsus, aut venæ angularis, quæ prope canthum internum decurrit, quam secare jubet Guillemæus &c. *Cucurbitulæ* etiam in dorso vel humeris adhibitæ cum scarificatione, & repetitus earum usus revellendi & evacuandi scopo satisfaciunt. Postnæc ipsius palpebrarum internæ superficiei in oculo affecto scarificatio & evacuatio sanguinis derivatoria, mediante xystro oculari, vegetabili illo, debite peragenda summè commendatur abs Woolhusio, & dolorem inter operandum, quem causat, optimo subinde compensat eventu. y)

Frictionum asperiorum in artubus, dorso: *Pediluviorum* tepidorum domesticorum, lixivioforum; *Suppedaneorum* rubefacientium: imò *Vesicatoriorum* in artubus superioribus & inferioribus atque nucha, diu suppurantium usus revulsorius pariter est præstantissimus.

Si fonticulos jamjam habeat ægrotus, l. ulcera manantia, horum quoque suppuratio solicite promovenda est; alvus etiam libera servanda, sin minus officium faciat, clysmatibus emollienda, stimulanda: sic pariter mensium, hæmorrhoidum fluxus est respiciendus, fovendus.

Cacochymiæ opponenda blanda laxantia, non resinosa, quæ fortiter stimulent, sed è sale cath. angl. fol. sen. Agaric. Rhabarb. Manna &c. parata; vel Pilulæ è Mercurio dulci, MP. de succin. Cr. Extr. panch. Cr. &c. semel iterumque repetitæ. Sanguis spissitudine, l. acrimonia bilioſa, salina peccans incidendus, resolvendus, temperandus est: e. g. apidibus cancrorum præparatis, C. C. phil. calc. succin. præparato, nitro, millepedibus, Rad. valer. Sem. fœnic. Mixt. s. Lud. Ess. alex. Stahl. infusis è rad. angelic. scorzon. carlin. Sem. fœnic. L. Santal. citr. Anis. stellat. &c. Topicis etiam remediis, qualia sub indicatione secunda statim erunt indigitanda. Quæ vero sunt è classe topicorum repellentium, adstringentium, frigidorum usus vel nullus, vel certe cautissimus esse debet, non modo quum pus sub cornea jam effusum est, sed etiam cum imminet atque metuitur hypopyum futurum.

2. Indicatio præcipit puris dissipationem ac insensibilem resolutionem. Possibilitatem hujus indicationis & ratio & experientia & similium sanguinis atque puris stasium atque collectionum, insensibiliter ite-

---

y) Vid. Præsidis Disp. inauguralis olim heic habita de Ophthalmoxysi.

iterum discussarum analogia confirmant, quod, cum non lateat genuinos medicos expertosque chirurgos, multis adstruere ratiociniis supersedeo. Ex observationibus nostris, ad calcem hujus dissertationis adjectis constabit lectori quam luculentissime, quod hypopyi resolutio insensibilis actu contigerit, id quod & alii testantur experti. z)

Suppono autem, non modo jamjam in actum deducta & præmissa esse, quæ per primam indicationem inculcavi, præsidia, sed etiam continuari adhuc strenue, dum ad remedia topica & chirurgica dissipantia & resolventia descenditur. Resolventia tn. hæc medicamenta externa nec spirituosa nimis, nec acria resinoso-aromatica debent esse, nec ipsi bulbo facile applicari, &, quæ humida adhibentur, conservari semper calida, ne refrigerata plus noceant, quam juvent. Ex insigni horum farragine pauca & usu probata, mihi maxime solennia seligam. e. g. herbam hyssopi, origan. Serpil. Fl. Sambuc. lavend. ros. r. Crocum, Camphoram, myrrham, Oliban. Sem. fœnic. Rad. valerian. Formula hæc poterit concinnari: Rec. herbæ serpilli, origan. hyssop. Fl. lavend. Sambuc. ana manipulum semis, Croci austriac. drachmam semis, Camphoræ scrup. unum, Oliban. Sem. fœnic. ana drachmam unam. M.C.C. indantur sacculo ampliori, coq. modice in vino albo, vel rubro, intincta & expressa iterum multiplicia lintea, quæ compressas vocant, palpebris admoveantur calida, muniantur spissiore alia compressa sicca calidaque superimposita & laxe appressa, mediante fascia; vel quadrati & interpassati effingantur sacculi, ea magnitudine, quæ totam oculi regionem externam obtegat, & iisdem medicamentis resolventibus infarcti inque vino aut commixta etiam aqua calcis vivæ decocti applicentur. Repetenda est in horas, minimum singulis trihoriis, diligentissime talis applicatio. Si ferat oculus, vapor quoque hujus decocti modice calens admitti potest inter diductas palpebras ad oculi bulbum.

Nequ

z) Miror, celeb. Bidloum in Exercit. anat. Chir. C. de oculo purulento, it. ex cell. Bassium in den Anmerk. über Nucks chir. Handgriffe C. de hypopyo impossibilem statuere hujus puris attenuationem ac resolutionem, quam tn. Nuckius recte asserit, quamvis omnino non semper succedat, si pus copia & spissitudine nimium peccet. Celeb. Heisterus in Chir. sua meminit hypopyi motu vectionis in rheda succussorio dissipati, sive hujus purulenta materia in regionem oculi secundam absorpta sit, quod censet laudatus vir, sive motu attenuata per corneæ poros transpiraverit partim, partim in vasa revehentia venosa & lymphatica sit abducta. Testatus est Præsidi b. Woohusius, se plus semel feliciter dissipasse hypopyum simplici decocto & fomentatione lavendulæ, & cataplasmate, e medulla pomi assati, & immixtis huic aliquot granis camphoræ, nec non vesicatorio tempori applicitô.

Neque Ophthalmiatrum ab hoc opere ſtatim deterrere debet l. aucta hinc conjunctivæ inflammatoria rubedo, l. adauctus dolor pulſatorius aut pungitivus oculi internus, multoque minus palpebrarum ſubſequens intumeſcentia, quæ boni potius ominis eſt, ſerio tamen cavere & cane pejus ac angue fugere ſacculorum & epithematum madentium refrigerationem. Aſt cum hæc ipſa refrigeratio tempore hyberno & apud oſcitantem ac incuriam plebem, aut etiam dormiturientes & vel tandem placidum ineuntes ſomnum ægrotos vix evitari ſatis queat, in uſu mihi eſt, nocturno præſertim tempore cataplasma hoc ocularium, quod in hypopyo non ſaltem, ſed aliis etiam oculorum affectibus inflammatoriis &c. plane eximios hucusque mihi uſus præſtitit. Rec. Pomum acidum num. 1. aſſetur ſub cineribus: hujus medullæ, à pelliculis, ſeminibusque purgatæ calidæ commiſceantur pulv. croci auſtriac. ſcrup. unus, camphoræ gr. V. Obducantur compreſſæ latiori, è pluribus ſtratis compoſitæ complicatæque, & maſſa immediate, ſtrato quodam lintei haud obtecta ſive involuta admoveatur palpebris clauſis, eo caloris gradu, quem æger facile ferat. Obtegitur dehinc hæc compreſſa aliâ ſiccâ calidaque, l. pulvillo, aut goſſypio ad colorem cataplasmatis diutius fovendum, ſicque tuto per integram quoque noctem relinquitur hoc ipſum, alias autem pro lubitu vel neceſſitate pluries repetitur, calefacta iterum priori ejus materia, vel ſubſtituta nova.

Soleo ſupra laudatis, croco & camphoræ, aliquando & pulverem ad. ir. flor. & antimon. diaph. addere reſolvendi ſcopo, qui huic etiam cataplasmati proprius & primarius manet, quantumcunque etiam cataplasmatum in oculi inflammatione & hinc metuenda ſuppuratione uſum in genere damnet Dom. de St. Yves, aa) quod & oculum pondere gravent, & ſuppurationem potius procurent quam reſolutionem. Hujus enim noſtri cataplasmatis exigua moles eſt ac gravitas, ſplenium inſuper, cui ſuperextenſum eſt cataplasma, latius ſuſtinetur ex parte etiam ſupercilio & circulo orbitæ, molliusque per circumductam comprehenditur atque apprimitur faſciam. Dein & hæc Yveſii cautela reſpicit ſaltem cataplasmata emollientia, κατ' ἐξοχὴν talia, atqui non omnia ſunt talia, nec repugnat notioni cataplasmatis eſſe virtutis reſolventis atque discutientis. bb) Taceo, quod emollientium quoque, proprie

a) St. Yves Malad. des yeux à Paris 1722. p. 206.

b) Loco pomi aſſandi commendant nonnulli poma putrida, qualia alias communiter vulgus in oleo lini cocta ſolet ſub cataplasmatis forma extus applicare loco dolenti in pleuritide ſcopo reſolvendi, emolliendi doloresque leniendi.

talium, cataplasmatum effectus subinde resolutorius magis quam matu rativo-suppuratorius præter intentionem plus semel resultet.

Collyria, si quæ locum habent, parari poterunt ex Aq. fl. Sambuc. rosar. chelidon. valerian. lavend. cum antim. diaph. & camphoræ, quin & croci tantillo, resolvendi scopo e. g. Rec. aquæ sambuc. uncias duas semis, rosar. unciam unam, chelidon. lavend. ana unciam semis. Camph. gr. III. Croci gr. IV. M. Tepide oculo subinde instilletur, l. lintea hoc collyrio calido imprægnata palpebris crebro imponantur.

Unctuosorum, mucilaginosorum, adstringentium atque repellentium usum jam in limine rejeci; hinc si unguenta ophthalmica, variaque, quæ passim ab authoribus laudantur, collyria tentare animus sit, eo semper respiciendum est, ut nec obstruendo, constipando, constringendo, nec irritando, stimulando, calefaciendo peccent. Collyrium, quod Nuckius cc) commendat, tanquam mediante quo materiam purulentam in hypopyo subinde attenuari atque resolvi, nec non oculo pristinas vires (visûs procul dubio) reddi observaverit haud est inconcinnum: scil. Rec. Aq. rosar. fœnic. ana unc. II. Tut. præpar. drachmam semis, Antim. diaph. scrup. unum, tinct. croc. drachmas II. aquæ Regin. Hungar. drachmam semis. M. adhibeatur de die ter quaterve calide.

Ulteriore resolvendi ac rarefaciendi fine sunt qui suadent *cucurbitulam siccam*, aëre in cavo ejus rarefacto per ellychnii flammam, oculo affigendam; sed cribrat ideo Fabricios, Hildanum & ab Aquapendente, Woolhusius, quod cucurbitula nimis calida adurat oculum minus vero calefacta sufficientem haud præstet attractionem; mihi vero insuper videtur, si magnam exerceat attrahendi vim, imo si vel mediocrem, hanc fore periculosam, quatenus ulteriori humorum affluxui quin & corneæ crepaturæ præbet occasionem. *Vesicatorium* paritei ipsi oculo (palpebræ superiori procul dubio) admoveri solitum Lutetiæ Parisiorum & Rupellæ, tempore Gassendi refert, Woolhusius mox laudabili, mox sinistro exceptum fuisse successu. Mihi videtur tutius imponi partibus ab oculo remotis, scopo revulsorio.

Deni

cc) Ant. Nuck in Enchires. & experiment. chir. C. de hypopyo. Falli quidem Nuckium reputat exc. Bassius in not. ad edit. Nuckii German. p. 95. cum vane prætexat ille, hypopyum attenuari posse ac resolvi, sicut & Bidlous in Exerc. anat. chir. jam supra dictus est, ridere illos, qui completum hypopyun dissipare annituntur. Confer. not. mea lit. z) & aliarum puris concluſi collectionum atque abscessuum haud adeo rara discussio & resolutio sive spontanea, sive artificialis.

Denique supereſt & enchireſis quædam ad diſſipandum hypopyum, cujus mentionem fecit jam olim *Galenus*. dd) Verba ejus è verſione latina ſic habent: -- ad eundem modum & pus ab oculis, quos ὑποπύους vocant: Verum id plerumque medicamentis digeritur (διαφορεῖται) hypochyma vero jam incipiens digeritur: ubi diu conſtitit, non poteſt. Ætate vero noſtra ocularius quidam Medicus, nomine *Juſtus*, etiam concuſſione capitis multos hypopyos (πολλοὺς τῶν ὑποπύων) ſanavit. Collocans enim eos in ſella rectos, ac capita eorum utrinque à lateribus apprehendens, mox quatiebat adeo, ut manifeſte deſcendere pus ipſi videremus. Manſit autem horum pus deorſum propter gravitatem ſubſtantiæ, tametſi hypochymatibus nequaquam manentibus, niſi admodum ea quis diligenter impingi cogeret &c.&c. Paulo poſt vero mentionem facit alius operationis, corneæ perforandæ, unde multum puris ſimul poſſit evacuari.

Eſt hæc Juſti operatio chirurgica inter dubia chirurgiæ vexata, à quamplurimis interim ſucceſſoribus fideliter deſcripta, à nemine vero, quod ſciam, ſatis enodata, hinc à nonnullis pro inani potius vel ſpeculatione, vel falſa relatione venditata. ee) Imò ipſam hanc methodum plane repudiarunt alii atroque notarunt calculo. ff)

Paucis ſub incudem vocaturus hanc Galeni hiſtoriam evincendum puto omnium primo: quod poſitive hoc loco ſit quæſtio de tali hypopyo, quod in limine diſſertationis definivi collectionem eſſe puris ſub cornea in prima oculi regione, ſive inter corneam & iridem. Patet id, quòd Galenus 1) Hypochyma i. e. ſuffuſionem, communiter hodie cataractam dictam, diſtinguit à hypopyo, tanquam congenere affectu, quorum ergo ille ſecundæ regionis oculi, hic primæ ordinariò eſt indigena. 2) De hypopyo, vel ὀφθαλμῷ ὑποπύῳ, tantum non in omnibus textus lineis prædicat purulentiam, pus. 3) Jubet corneam dividere,

dd) Galen. Meth. med. L. XIV. c. ult.

ee) Ido Wolfius in Obs. Chir. med. L. I. obs. 16. p. 56. de Juſti curationis veritate vehementer dubitat. Meekren obs. chir. C. X. neglexit & contempſit hanc Juſti methodum, quod pluries ab Ipſo tentata fuerit ſine fructu.

ff) Ant. Maitre Jan Trait. des Malad. de l'oeil Part. II. C. 16. p. 418. ne vous ſervez point, inquit, de cette pratique, qui ne vous reüſſiroit pas. Sibi tamen contradicit, ſtatim ſubjungens: quoique ce fait puiſſe etre vrai en trois rencontres. Ultimam vero harum circumſtantiarum conſtituit ipſum pus in prima oculi regione collectum. Fatetur itaque, Juſti factum eſſe & verum & poſſibile omnino. Sed diffidit propriæ dexteritati, aut alium, quem ſilentio præterit, obicem & difficultatem veretur.

dere, incidere paulo ſupra locum, quo committuntur inter ſe tunicæ univerſæ; ideoque corneam pertundit in primam usque regionem oculi, ut ibi hærens pus inflicto hoc vulnuſculo poſſit effluere & evacuari. Heic vero partem corneæ inferiorem, quæ perforari debeat, non ſuperiorem intelligi, vel minus emunctæ naris olfaciet Davus.

Secundo autem privativè hîc Galeno nec eſt, nec poteſt eſſe ſermo de pyoſi, abſceſſu, vel inter lamellas corneæ latente, vel hujus internæ ſuperficiei adhærente, vel abſceſſu iridis, (quod ſuſpicantur nonnulli, interque hos Maitre-Jan,) qualis ruptioni maturus per has capitis concuſſiones crepet & pus ſuum eructet in oculi primam regionem: quod ergo è ſede ſua deſcendere viderit Galenus & è loco ſuperiore in decliviorem hujus primæ regionis fundum præcipitari.

Ita nodum in ſcirpo quærunt & aliena exegeſi textum obtorto collo trahunt ad ea, de quibus ne ſomniavit quidem Galenus! Ita ſe produnt, cur ſiniſtre ab Ipſis intellecta Juſti methodus, ſiniſtre ceſſerit, cum Juſtum imitari voluere? Quæſo enim niſi Galenus ſupponeret pus jam ſatis notabili copia effuſum atque ſtagnans in prima oculi regione, quo modo illud tam manifeſte vidiſſet deſcendere per concuſſionem Juſti? Cur dixiſſet pus hinc manſiſſe deorſum, quod, ſi ex aliquo abſceſſu demum hac operatione decuſſum fuiſſet, omnino nec in corneam, nec iridem denuo adſcendere potuit? Quo fundamento, qua veritate diſſipationem, diſcuſſionem, quas tanquam finem intentum & obtentum proponit, de hac operatione prædicaret? Quam inepte prudentiſſimus ac expertiſſimus vir ille contenderet multos hac methodo ſanatos fuiſſe abs Juſto? Cum enim de puris diſcuſſione ac diſſipatione, imo vacuatione, ſi non totali in reſpectu ad totum oculi cavum, tamen partiali & relativa in ordine ad primam oculi regionem ſermo ſit, oportuit hoc etiam pus evaneſcere & è conſpectu ſubtrahi, atque ſic ægros ſanari. Aut ſanati dicentur illi, quibus pus è cornea vel iride migravit & deſcendit in primam oculi regionem, ubi tot turbas, dolores, impedimentum viſus & pericula ſolet inferre? Quam inique porro arguitur l. Galenus, l. Juſtus intempeſtiva ac inutili motitatione capitis violenter excutere anniſus materiam purulentam, intra corneæ pelliculas latentem ac ita impactam, ut carceres ſui abſceſſus perfringere ac in cavum primæ oculi cameræ potuerit depluere? Si vero in crepaturam pronus paratusque fuerit abſceſſus, ſponte defluxurum pus nulla indiguit commotione.

Excuſationis tamen veniam merentur, qui hunc Galeni locum vere obſcurum nimisque laconicum, vel reliquerunt intactum, vel minus aſſecuti ſunt. An illo tempore lippis ac tonſoribus nota fuerit hæ

Juſti methodus, ut ideo Galenus gravare lectores prolixa deſcriptione noluerit? An vero arcanam hanc Juſti enchireſin promulgare dubitaverit, operoſe non disquiram? Judicium ſit penes B. L. num felicius rem acu tetigerit, qui ad mentem Woolhuſii ſuppoſuerit: Galenum intelligere ſellam, quæ l. dorſo caret, l. ſaltem non altiore ſit inſtructa, quam quod pertingat ad ſcapulas ſaltem ægri, huic ſellæ inſidentis, l. quæ dorſum habeat in ſuperiore parte transverſim reclinabile (quæ Woolhuſii mens eſt) per cardines affixum, quales in tonſtrinis Pariſienſibus familiares ſunt pro majori commoditate eorum, qui barbas tonderi curant. Ipſum certe nomen græcum ſellæ, quo Galenus utitur, δίφρος, denotat ſtricte ſellam curulem, cui auriga & parabates inſidebant, qualis l. nullum, l. humilius dorſum obtinebat.

In tali ſella ægrum collocari rectum jubebat Galenus, ejusque caput (reclinatum, ut ſuſpicor) utrobique à lateribus apprehendi ac ita deinde concuti, ut pus è prima regione obſervatum ſit manifeſte deſcendiſſe, (capite ſcil. reclinato,) per pupillam in ſecundam oculi regionem, ut hoc gravitate ſua fundum petens manſerit infra foramen pupillæ in ſecunda oculi regione, atque ſic in inſtanti diſſipatum eatenus fuerit hypopyum, quatenus inſpicienti oculum affectum non amplius comparuit, imo ibidem ſucceſſive attenuatum, abſorptum ac omnino diſcuſſum fuit. Suſpicionem de capite ægri inter concutiendum reclinando fundat non modo ipſa expreſſio, qua deſcendiſſe pus dicitur, è fundo autem primæ regionis oculi pus non poteſt deſcendere, niſi l. facto foramine & aperta cornea, de quibus verò hîc non eſt quæſtio, l. reclinato, retrorſum tracto capite, ut per declive ſic pus facilius per pupillam tranſire poſſit in ſecundam regionem, accedente maxime concuſſione capitis; ſed etiam in textu occurrens expreſſio κατασείσεως τῆς κεφαλῆς, quæ concuſſionem capitis deorſum factam innuit. An Juſtus juxta hanc capitis concuſſionem oculum ſimul blande fricuerit, atque ſic tenacem illam materiem purulentam loco moverit facilius, hancque frictionem Galenus myſterioſe, ut loquitur Woolhuſius, ſubintellexerit, è textu certe non poteſt evinci? Nullum verò mihi dubium eſt, quin ejusmodi frictio in modo dictum finem poſſit locum habere.

Ingenioſiſſ. & expertiſſ. certe ophthalmiater *Woolhuſius* ore & ſcripto *teſtatus* olim eſt Præſidi, *ſe* Ocularium illum, *Juſtum, multoties imitatum* eſſe *feliciſſimo cum ſucceſſu.* Paulo tamen aliter Ille proceſſit. Nimirum collocavit ægrum in lecto ſupinum, ita ut caput circa oram lecti fuerit unius pedis altitudine declivius reliquo corpore, tum vero oculum affectum blande fricuerit circa partem inferiorem iridis: Unde materia purulenta locum mutaverit & in ſecundam oculi regionem trans-

migraverit, ubi humor aqueus diluerit & temperaverit puris acrimoniam.

Quamvis novam hanc & interiorem puris ſedem pro loco ignobiliore, ad quem Galenus, loc. cit. circa finem, transferri dicit hoc pus, minime habendam reputem, aptior tamen ad reſorptionem discuſſoriam poterit declarari. Ceterum ſi materiæ purulentæ inſignis ſit copia, huic recipiendæ ſufficiens ſpatium haud præbet ſecunda regio oculi, neque ſi roſivum & acre ſit pus illud, tuta eſt hæc loci commutatio, cum in ſecunda oculi camera nobiliores longe partes, quàm in anteriore, periclitentur.

Ophthalmoxyſis denique ſupra laudata, in ſuperficie palpebrarum interna inſtituta, junctis reliquis ante recenſitis remediis, eo fine poteſt adhiberi, ut, facta ſic ſtagnantis ſanguinis evacuatione, hujus circulatio reſtituatur liberior, & abſorbendæ in vaſa revehentia materiæ purulentæ aperiatur porta.

Si vero recenſitis hucusque præſidiis materia purulenta diſſipari renuat, & quantitate pariter ac qualitate roſiva invaleſcat, atque ſic puris eductio ſimultanea quovis modo ſit feſtinanda, tunc ad tertiam indicationem eſt properandum, nempe ad puris evacuationem per vulnuſculum corneæ infligendum. Galenus brevem & hujus operationis „chirurgicæ mentionem facit. gg) Subinde vero, inquit, multum ſi„mul puris vacuavimus diviſa tunica ea, quæ cornu eſt ſpecie, paulo ſu„pra locum, quo committuntur inter ſe tunicæ univerſæ. Nominant „porro locum græce alii iridem, alii ſtephanon, i. e. coronam. quo fit, „ut hoc quoque vitium tribus ſubjiciatur vacuandi modis: & chirur„giæ, quæ ſimul multum aut totum expellit: & medicamentis, quæ „paulatim: & ei, qui ad alium ignobiliorem transfert locum, velut „in concuſſione.

A Galeni temporibus nemo fere neque medicorum, neque chirurgorum egit quidquam aliud in ultima hæc usque noſtra ſecula atque tempora, niſi ut Galenicam hancce operationem l. allegarent l. exſcriberent, imò tantum abeſt, ut debite l. explicarint, l. imitati fuerint, ut plurimi ſuſpectam potius reddiderint, vano perculſi metu, evacuandi ſimul humoris aquei viſusque inde perdendi. hh)

Ambros.

gg) Galen. meth. med. L. XIV. C. 18. ad finem.

hh) Veterum errorem hunc tantopere haud miror, ac recentiorum nonnullorum e. g. Gul. Coward in Ophthalmiatr. Lond. 1706. edita p. 103. it. Jo. Jac. Mangetus in Biblioth. chir. Genev. 1721. Tom. III. C. de hypop. contra tot evidentiſſ. obſervationes, atque ſic falſo ſtatuunt, in homine adulto ſemel evacuatum humorem aqueum non reſtitui, ſed cœcitatem neceſſariò conſequi.

Ambros. Parœus ii) celeb. chirurgus regius in Gallia circa finem ſeculi decimi ſexti meminit adminiſtratæ à ſe feliciter hujus ocularіæ operationis. Verba Ejus hæc ſunt: „Scribit Galenus, ſe materiam illam „aliquando vacuaſſe, aperta ad iridem cornea, quo ſcil. loco tunicæ „omnes conveniunt, concurrunt & terminantur. Idem ego feci præ„ſente Jac. Guillemeau Regio & Pariſienſi chirurgo, & perfeci felicis„ſime: expreſſo & vacuato poſt apertionem pure, detergebatur ulcus hydromelite ſimilique alio medicamento. Guillemæus ſimiliter inciſione hypopyum ſe feliciter curaſſe refert. kk)

Lazar. Riverius, ll) qui circa medium prioris ſeculi vixit celeberr. Medicus Gallus recenſet quoque Galenicam hypopyi operationem, ſed de illa ſic judicat: „Quæ quidem operatio ut parum noſtris tempo„ribus uſitata eſt, ſic peritiſſimi chirurgi manum deſiderat, & veren„dum maxime eſt, ne aperta cornea, cum pure humor aqueus effluat. Alibi tamen mm) refert obſervationem chirurgi cujusdam Gratianopolitani, qui conſpiciens album quidpiam in oculo ægri, totam pupillam obtegens, quod pro hypopyo habuerit, levem fecerit inciſionem, unde exiguus ſanguinis thrombus exivit, qui exteriore ſuperficie albicans, interiore vero ruber fuit; unde ſtatim omnes dolores ceſſaverint, & intra paucos dies æger lucem ſuſtinere cœperit ac brevi integram ſanitatem ſit conſecutus.

Sed laconicæ nimis ac imperfectæ ſunt omnes hæ deſcriptiones, pleniores vero & exquiſitiores, quas exhibent *Nuck*, *Meekern*, *Bidloo*, qui & ipſi hanc operationem ſemel iterumque feliciter peregerunt. nn) *Maitre-Jan* & *St. Yves* in ſuis Tract. ſupra laudatis de morbis oculorum ad rem propius accedunt, notæ etiam, quas Baſſius adjecit Nuckii experimentis, multum lucis adfundunt.

Quæ tamen his omnibus ſuperaddi mereantur vel pro illuſtratione, vel emendatione, pace celeberr. horum virorum, citra opprobrium aut cribrandi pruritum, ſtatim indigitabo, idque potiſſimum juxta celeb. Woolhuſii manuductionem, qua Præſes olim Pariſiis per biennium fere gaviſus eſt. Qui vero Woolhuſii dictata ac manuſcripta poſſi-

---

i) Ambr. Paræus in operib. chir. recuſis Francof. in fol. p. 471. Cap. de hypop.

kk) Guillemeau Part. IV. Tract. de oculor. morb. C. XII.

ll) Laz. Riverius Prax. med. in fol. recus. Francof. ad Moen. 1669. C. de hypop. p. 254.

mm) Locum ipſum in Riverio invenire non potui, totam vero obſervationem Riverianam repetit ſupra allegatus Coward in Ophthalmiatr. p. 102.

nn) Ant. Nuck Enchires. & exper. chir. Job van Meekern obs. chir, Godefr. Bidloo exercit. anat. chir.

poſſident, facile animadvertent, me in tractatione meliorem ordinem ſyſtematicum (qui paſſim, ne quid diffitear, in ſcriptis Woolhuſianis deſideratur) & copioſiorem lectionem, & proprias enchireſes, cautelas & animadverſiones & aliquot denique caſus, è propria deſumptos Praxi fideliter exhibere, nec in verba & opiniones magiſtri jurare, ſed paſſim diſſentire.

Perpendendum eſt itaque in hac etiam operatione ocularia: Quid *Ante*, quid *Per* & quid *Poſt* ipſam Ophthalmiatro ſit agendum? Ac primum momentum ſpectat præparatio pharmacevtica, diætetica atque chirurgica. Atqui vero periculum, quod imminet, l. nullam planè moram relinquit operoſæ qualicunque præparationi, l. eam ſaltem, quæ paucis expeditur: e. g. Venæſectione in pede revulſoria, veſicatoriis altero tempori, altero retro auriculam ejusdem lateris applicando clysmate, ipſa operationis vigilia injiciendo, una alteraque doſi medicamentorum temperantium, demulcentium atque leniter anodynorum ac diæta tenui, abſtemia.

Ophthalmoxyſin, quam Woolhuſius operationi hypopyi ſemper præmittendam commendat, nec abſolutæ ſemper neceſſitatis, nec alias quando tutam ſatis eſſe reputo. Scilicet jam ante ſatis oculo dolet ægrotus, & bulbi compreſſio, quæ ſub operatione ophthalmoxyſis evitari penitus nequit, metum injicit crepaturæ corneæ intempeſtivæ, aut ſeparationis iridis à circulo corneæ interno. Provide tamen adminiſtrata, in caſu conjunctæ ophthalmiæ inflammatoriæ & metuendi ulterioris affluxus, ſcopo etiam ad hypopyi operationem præparatorio locum poteſt habere.

Supellex chirurgica, operationi inſervitura, hæc ad manum eſto. *Lanceola* l. communis, venæſectioni alias deſtinata, ſed circumductâ faſciola, aut emplaſtro circumglutinato munita, ut apex modò proſpiciat nudus, atque ſic lanceola profundius juſto penetrare prohibeatur. oo) vel Lanceola abs Meekern inventa, pp) quæ in brevem planumque deſin

---

oo) Tali lanceola ad hypopyi operationem quilibet chirurgus eſt inſtructus, ideo aliis, ex profeſſo ad hypopyum deſtinatis inſtrumentis carens operationem nihilominus adgredi poſſit. Ordinariam talem lanceolam innuere videntur & adhibere Maitre-Jan & St. Yves, digitis vero teneri illam jubet ſicut in Venæſect. moris eſt. Sed nollem ego, in hac præſertim operatione, ita tenere, ut apex lanceolæ nimis longa proſpiciat ultra digitos, quod Gallorum mos eſt.

pp) Job van Meekern Obs. med. chir. Edit. lat. Amſtel. C. X. p. 67. delineatam exhibet.

desinit apicem, posterius vero globosa (ut nimis profunda lanceolæ penetratio impediatur) atque manubrio cylindrico, quatuor fere pollices longo adaptata est. Bidlous qq) scalpello usus est, in formam rostri passeris acuminato. Woolhusius rr) acum, quam circa finem prioris seculi, abs se inventam, orbi literario annunciavit, adhibet pro corneæ perforatione, triangularem, cujus bini anguli sunt laterales, tertius in superficie anteriore media juxta longitudinem erectus, cuspis versus anticam elatiorem superficiem nonnihil inflexa, incurvata, superficies postica lævis convexo-plana est, latitudinem in medio maximam habet, sesquilinealem circiter, crassitiem vero in medio, ubi maxima est, lineæ fere unius mathematicæ. Tota hæc acus triangularis, quousque modò dicto instruitur hoc triangulo, longitudinem trium prope linearum mathematicarum æquat, desinens in cylindricum tenuem petiolum, ex eadem materia chalybea continuum, manubrio angulosо firmiter infixum, ut tunc totum hoc instrumentum longitudinem paulo supra tres pollices obtineat. Vocavit hanc acum Woolhusius *Punctale* suum, quoniam revera primarium usum suum punctione præstat. Aliquam hujus Woolhusianæ acus descriptionem exhibuit celeb. Heisterus in Chir. Germ. An. 1724. figuram vero, quæ tum deficiebat, addidit in noviss. edit. Chirurgiæ suæ latina An. 1740. ss) Affabre eam sistit delineatam & succincta descriptione illustratam cel. Platnerus. tt)

Duabus se commendat hæcce acus prærogativis: alterâ, quod foramen satis amplum, pro spissioris puris evacuatione, infligat, illudque, si operator acum in ipso vulnusculo paulisper verset moveatque sursum atque deorsum, dilatando ampliet: alterâ, quod cuspidem habeat inflexam, quæ, postquam cornea est perforata, non facile impingat in iridem, quod ipsum quidem periculum ex parte etiam avertit

 crescens

---

qq) Godofr. Bidloo Exerc. anat. chir. VII. p. 88. unde quidem clare haud constat de structura hujus scalpelli, an sit instar acus pyramidalis, angulosæ, atque sic referat passeris rostrum superius ac inferius, sibi invicem appressum? An vero alterutrum saltem æmuletur, & in medio excavatus, sulcatus, in apice pungens, in lateribus scindens sit? Cujus posterioris fabrica juvaret omnino egregie puris exitum, l. spontaneum, l. immisso tenui specillo.

rr) Woolhusius An. 1696. in Ephemerid. Societ. Reg. Gall. Edit. Batav. p. 682. publicam hujus instrumenti fecit mentionem, sed nullam exhibuit nec descriptionem nec delineationem.

ss) Laur. Heisterus in Chir. Germ. An. 1724. & latin. 1740. Edit. Cap. de hypop.

tt) Joh. Zach. Platnerus in Disp. de fistul. lacr. Lips. 1724.

creſcens ſucceſſive acus latitudo atque craſſities. Oportet cuſpidem & latera punctalis acute pungere ac ſcindere, aliàs non, niſi ſummo labore & periculo, infigitur. Laterales vero anguli & tertius in medio aſſurgens vix in debitam aciem attenuari poſſunt, ob ipſam inſtrumenti anguſtiam & triangularem figuram. Ipſa hæc incommoda me docuit actualis applicatio. Hinc conſultum duco, plures diverſæ craſſitiei ac latitudinis, omnes tamen gnaviter ſcindentes atque pungentes ad manum habere ejusmodi acus Woolhuſianas.

Imo majoris ſecuritatis & certitudinis gratia, pro phænomenorum inter operandum varietate, in parato non minus ſit *acus ad cataractam Woolhuſiana*, quæ ſcil. cuſpidem non acute pyramidalem, ſed planam ac ſcindentem habet; it. *forficula bonæ notæ*, cuſpidibus modice acuminatis inſtructa. Binis hisce inſtrumentis aliquando feliciter me uſum fuiſſe, ubi acus Woolhuſiana, punctale, voto non reſponderat, infra ſequens demonſtrabit caſus.

Ad apparatum chirurgicum ſpectant porro: *Stylus tenuis*, argenteus *ſulcatus*, in extremitate clauſus, & nonnihil ampliore cavitate ibi donatus, ut minimum cochlear quoddam referat, quo partim dilatari vulnuſculi labia, partim in ejus ſulco minimum ſcalpellum l. forficulam immittere liceat pro dilatando per inciſionem vulnusculo, partim tenacius atque ſpiſſius ſucceſſive pus extrahere, uti cerumen ſolemus auri ſcalpio, partim denique adverſa hujus ſpecilli, ſcil. convexa, parte iridem quin & lentem cryſtallinam reprimere, ſi opus fuerit. *Syringa exili* ſuaſu plurimorum, inprimis etiam Yveſii in Tract. de morbis oculorum, eo fine requiritur, ut factis mediante illa injectionibus aquæ tepidæ, vel alius liquoris in vulnusculum & cameram anteriorem oculi ſpiſſum pus diluatur, atque ad effluxum provocetur. Commendant aliqui inſuper uu) pro exſugendo tenaciori hoc pure *canaliculum ventricoſum*, ita acutum, ut foramen vulnuſculi ſubire poſſit, ventre amplo inſtructum, ut pus ſuctum in illum non in os ſugentis feratur: cujusmodi chymici pro ſugendis aqua l. oleo, in ſeparatione horum ab invicem uſurpare ſolent. Speculo oculi hic facile ſuperſedemus, ceu noxii potius impedimento, quam laudabili adjumento. Hamulus vero latus ille & politus, è chalybe paratus, quem Woolhuſius *ſuſpenſorium palpebræ ſuperioris* adpellat, & quo, ſub palpebram ſuperiorem infixo ejus unco, palpebra ſuperior ſuſpenſa ac elevata tenetur in operatione ab amanuenſi quodam, non contemnendi uſus eſt, maxime in valde ſenſilibus & refractariis ægris, qui ſub ipſa operatione palpebras vehemen-

te

uu) Felix Platerus in Praxi C. VII. ad finem, de viſus læſione p. 283.

ter adducunt clauduntque. Delineatum extat hoc ipsum Woolhusii suspensorium in nitidissima editione nova latina Chir. celeb. Heisteri. ww)

Denique mollioris purique *lintei laciniæ: compressæ aliquot*, è complicato linteo, triangulares & quadratæ: *Gossypii* manipulus: *Fasciæ* duæ, tres ulnas Parisinas, l. quinque nostrates Wirtembergicas longæ, duosque pollices latæ, ac *vasculum aqua tepida*, l. tenui infuso theæ orientalis *repletum*: nodulus, l. spiritus, l. sal volat. fragrans atque penetrans pro odoramento, in casu lipothymiæ: *albumen ovi cum aqua plantag. & rosar. in spumam agitatum* mediante frusto aluminis crudi, agmen supellectilis chirurgicæ ac pharmaceuticæ claudunt.

Cœtera vero *æger collocandus* est in sedili quodam stabili firmoque, luci expositus xx) & nisi de ejusdem intrepido satis constet animo, pedibus elevatis nonnihil & valide per ministros detentis, uti & brachiis manibusque firmissime pariter retentis in situ hoc constanter figendus, caput ægri ab alio, à tergo adstante, ministro firmiter tenendum & paulisper resupinandum est. yy) Amanuensis alius in subsidium adesto, qui vel odoramenta ægro, vel alia necessaria porrigat operatori. *Operator ipse* vero in alia sella è directo considet ea altitudine, quâ commode oculum ægri contingere possit; hujus *oculum sanum* compressis fasciaque *obvelat vincitque*, ne videat æger ac exhorrescat instrumenta operatoris: *Apparatum* suum *chirurgicum reponit ad dextram* in vicinia, atque sic operationem animo intrepido manuque stabili aggreditur.

Ipsa *operatio sic perficitur*: Operator alterius manus digitis, pollice ac indice palpebras oculi affecti diducit, atque superiorem quidem super medium fere bulbi defigit ac immobilem præstat, inferiorem vero detrahit deorsum. Vel superiorem ita teneri curat per adstantem mediantibus vel digitis, vel hamulo Woolhusii suspensorio, ac ipse deinde inferiorem valide deorsum trahit. Punctale suum, aut lanceolam, aut aliam acum rectà infigit, zz) nec remisso nimis, nec valido nimium

ww) Laur. Heisteri Chir. latin. An. 1740. Edit. Tab. XVI. fig. 1.

xx) Secus ac in cataracta. In operatione enim hypopyi lux plena incidens efficere debet, nisi motus pupillæ jam sit abolitus, ut pupilla angustetur & transitum crystallino non minus ac puri præcludat.

yy) Ut ne inter operandum turbas det intempestivis & refractariis motibus.

zz) Directio infigendæ acus recta debet esse, ad evitandam vulnusculi corneæ obliquitatem, quæ & impedit puris liberiorem effluxum, & cicatricem vel maculam, eo loci post consolidationem remansuram, reddit majorem, deformiorem. Ob hanc ipsam rationem & ne hæc albicans macula tendat versus centrum corneæ, radiosque visorios intercipiat, vulnusculum infligitur transversum potius, quam perpendiculare.

impetu in mediam corneam, unius plenioris lineæ altitudine ſupra circulum corneæ exteriorem, loco ejus inferiore, & vulnusculum ſic infligit transverſum, lineæ unius longitudine paulo majus. Ipſe ſtatim ſentit operator quando cornea plene eſt perforata atque tunc lanceolam ſuam remiſſiùs impellit, ne imprudens impingat in iridem.

Si punctale Woolhuſianum adhibeatur ad perforationem, oportet ejus cuſpidem dirigere verſus concavitatem corneæ, & quamprimum ſatis penetraverit in cavum oculi, modice labium inferius vulnuſculi deprimere, ac dilatare vulnus, imo & cuſpidem inſtrumenti caute agitare & ſic pus attenuare, tum vero ipſum retrahere inſtrumentum inclinato deorſum ejus manubrio aaa) & capite ægri nonnihil antrorſum inflexo. Pus dehinc preſſo pede lanceolam inſequitur ordinariò cum aliqua humoris aquei portione.

Si vero acu ad cataractam, ſuperius laudata, pertuſa fuerit cornea, vulnuſculum nimis anguſtum non transmittit excernendum pus; ideoque forficulæ altero extremo in vulnuſculum ſufficienter immiſſo perficitur transverſalis dilatatio, lineæ, vel unius & dimidiæ, longitudine. Si neque ſic debitus puris obtineatur effluxus, ſpecillum ſulcatum, ſupra deſcriptum, ingeri debet in vulnus & tenacior materia quaſi per auriſcalpium extrahi, aut facta per ſyringam modica blandâque injectione tepida dilui atque elui. Bidlous aliique jubent leniore motu, frictione & moderata corneæ ſupra vulnus preſſione pus elicere. Qui vero ſuctorium quoque canalem tentare voluerit, ad glutinoſam materiam ſuctione evocandam, per me faciat, ſimul tamen caveat, ne ſuctione nimia & ipſum humorem aqueum ex utraque oculi camera evocet & extrahat! Quamvis enim pus, tanquam gravior liquor, fundum magis petens vulnuſculo in inferiore corneæ parte inflicto vicinius ſit & primo effluat, continuata tamen & violenta ſuctione & humor aqueus prolicitur, quod licet ſponte etiam, citra ſuctionem & preſſionem immodicam paſſim contingere ſolitum tanti momenti haud reputem, ut ideo l. operatio in totum exulare, l. plenaria ac ſimultanea puris evacuatio ſuſpecta reddi debeat; Tamen humoris aquei evacuationem, quantum fieri poteſt, evitare ac moderari ſuadeo.

Si lens cryſtallina in operatione, l. poſt eam ſe ingerat in ipſam pupillam, tempeſtive repelli debet parte convexa ſpecilli, in vulnus & primam oculi cameram immittendi. Cum vero lens cryſtallina ſuo ligamento ciliari & membrana propria jam penitus fuerit ſoluta & in pri-

mam

aaa) Scil. ad ulteriorem vulneris dilatationem, & ne cuſpis inſtrumenti impingat in extractione in iridem.

nam oculi regionem emigraverit, ejusdem l. integræ, l. in fruſtilla liſciſſæ extractionem tentare decet. Neque locus, neque animus eſt n præſentiarum hanc extractionis methodum pro dignitate proſequendi. Evolvat interea, qui plura deſiderat, Yveſii tractatum de morb. oculor. P. II. C. 21. p. 302. ſeqq.

Accidit aliquando, ut, propter diuturniorem moram l. acrimoniam puris, cornea ſponte perforetur, quod licet plerumque fiat loco multo inferiore, quam qui ad operationem eligitur, & orificio non ſatis patulo, dilatandum hoc eſt verſus corneam ſurſum, mediante l. lanceola, l. forfice, donec pus tenacius trajicere queat; & quamvis ſpontaneæ hujus crepaturæ locus ſuſcipiendæ dilatationi minime ſit aptus, quoniam operator vix ac ne vix quidem evitare tunc poteſt ſeparationem & divulſionem iridis à circulo corneæ, & hinc conſequentem hippum, id quod & ſibi eveniſſe non diffitetur Woolhuſius; Tamen dilemma, (quæ locutio eſt Woolhuſiana) eſt odioſum: Aut dilatare ſpontaneum vulnus, & ſic hippum efficere: Aut afflictæ & jamjam perforatæ corneæ novam, artificiali pertuſione nova, addere afflictionem, ac inflammationem adaugere, neque tamen impedire poſſe, quo minus materia purulenta foramine ſpontaneo, tanquam decliviore loco, æque imo plus effluat, ſub nova puris collectione. Tandem ſi pure evacuato deprehendatur iris corneæ nimis propinqua, vel & alicubi jam affixa, tentare oportet ejus ſeparationem & repulſionem mediante ſpecillo conveniente; de qua vero operatione alibi plus dicendum ſervo.

Denique operatione hypopyi ſic rite peracta quid reſtet agendum, afferam: Æger non multum diuque fatigandus eſt variis, ut fieri ſolet, oculo oblatis viſuque dijudicandis objectis. Sanus oculus, ante operationem faſcia obvolutus, vel eadem obtectus relinquitur, vel unà cum affecto oculo recens obligatur faſciatione, quæ oculus vocatur duplex. Affectus oculus abluitur, ſi opus ſit, aquæ vinique portione anatica tepida, ipſi autem bulbo nihil quicquam inſtillatur bbb) ſed manipulus duntaxat goſſypii, ſpuma illa albuminoſa (vid. apparat. pharmac.) imprægnati palpebris occluſis admovetur extus frigide, quemadmodum poſt operationem cataractæ ſolet; aut è conſilio Woolhuſii ſplenium muci-

 lagini

bbb) Rejicit Woolhuſius non ſine fundamento varia ſtatim ab operatione oculo vulnerique inſtillari ſolita collyria ſive reſolventia, ſive adſtringentia, quoniam illa labiis vulnuſculi valde utplurimum hiantibus & ipſi cavo oculi ſe inſinuant, & moleſtum potius ſtimulum, quam reſolutionem præſtant; hæc, quoniam præcocem vulnuſculi ſtricturam efficiunt, cum tamen patulum aliquamdiu exigat novæ collectionis purulentæ l. reditus, l. certe metus.

lagini sem. psyll. l. cydon. l. fœnugræc. extractæ per aquam verben. fœnic. ros. plantag. intinctum, additis aliquot camphoræ granis, tepidum oculo affecto imponi & in singulas 3 vel 4 horas repeti potest.

Dehinc compressa è complicatis lintei stratis, latioribus, figuræ quadratæ, gossypio superimposita debitis fasciæ circumductionibus modice apprimitur & obfirmatur, sic ut vel una eademque fascia, l. alia separatim, bini obvelentur oculi. ccc) Æger in lectum ducitur & capite elevato supinus collocatur, ad quietem, silentium, victum tenuem, abstemium adstringitur, & propinatis medicamentis temperantibus, antispasmodicis, emulsivis, leniter hypnoticis, vel & aliis, pro symptomatum varietate, non solum præsentium, sed & metuendorum prudenter instruitur.

Si conjuncta forsitan tussis, aut superveniens post operationem sternutatio, aut vomitus exacerbent dolores oculi inflammatorios & pungitivos metumque incutiant varium, exprimendi vulnere humoris aquei, elidendæ lentis crystallinæ in pupillam, vel ultra, ac protrudendæ iridis versus corneam, his quoque affectibus debite occurrendum est è genuinis medicinæ fontibus. ddd)

Nisi puris, quod prima vice totum evacuari nequivit, reliquiæ, aut metus novæ collectionis, vel aliud symptoma, doloris e. g. qui tamen ab operatione plurimum remittere, si non in totum cessare solet, urgeant, aut albuminosum epithema, brevi desiccatum, compressione gravet, totus apparatus per 6 vel 12 horas relinquitur intactus; sin minus, singulo trihorio vel quadrihorio renovatur, & oculi vulnerisque conditio inspectione exploratur, atque tum, si opus sit, materia purulenta denuo elicitur aut exprimitur, methodo superius laudata.

Mucilago sem. cydon. vel psyllii, aqua rosar. vel plantag. extracta bulbo & vulnusculo potest mediante molli penicillo l. plumula illini bis in die, si calor, fervor, inflammatio post operationem infestent, cui & ipsi mucilagini parum Antim. diaph. vel Tutiæ præpar. quin & tantil

---

ccc) Hoc enim est inter generalia ophthalmiatriæ præcepta, ut à sano etiam oculo lumen arceatur, quum illud æger oculus ferre non potest.

ddd) Scil. operator ocularius, si vel maxime medicinæ studium non excoluerit ultra novaculam & acum chirurgicam sapere debet, vel certe medicum ophthalmiatriæ satagentem, adsciscere in consilium, prout in nostro Ducatu id leges exigunt in genere de omnibus operationibus chirurgicis nobilioribus & difficilioribus.

tantillum camphoræ, cum hisce pulveribus tritæ, poterunt immiſceri. eee) Incidit hac occaſione *quarta*, quam in limine therapiæ commendavi, *indicatio*, dolorum mitigatoria, quæ ſcil. acutos & rebelles, operationem tam prægreſſos quam peractam comitantes adhuc & inſequentes, reſpicit dolores. Antecedentium dolorum promptiſſimum ordinario ſolet eſſe nepenthes ipſa operatio dextre peracta, prout obſervationes practicæ testantur. Aſt ſi operationem non admittat æger, vel ſufficiens operationi inſtituendæ quantitas puris nondum ſit collecta, ſed hypopyum exiſtat in fieri, vel admiſſa etiam operatio neque tollat, neque mitiget ſatis dolores, cataplasma è medulla pomorum vel putridorum, vel ſub cineribus aſſatorum, cum pulv. croci auſtr. ſcrup. uno, camphoræ, gr. II. Laudan. opiat. gr. V. mixtâ, palpebris calide applicetur, & interne papaveracea, temperantia propinentur: aut pro nocturnis doſibus pilulæ præbeantur ex Extr. pap. err. - pœon. - caſtor. cinnab. antim. rectif. MP. de cynogl. cum liquore CC. ſuccin. in pilulas formatis.

Ipſis etiam veſicatoriis hoc intuitu denuo locus eſt & blepharoxyſi, poſt operationem aliquoties repetendæ, ſi dolores proficiſcantur a continuata congeſtione, ſtagnatione & ſtaſi, in ſuppurationem tendentibus. Hanc tamen ophthalmoxyſin uti non abſolutè neceſſariam deprehendi ante operationem hypopyi, ita nec poſt eam. Si dolores a clavo vel hemicrania, lateris affecti oculi, topicis mitigare ſit animus, frontalia, unguenta, emplaſtra, temperantia & paregorica poterunt applicari ad frontem, tempus, verticem.

Quando primis diebus obtenta fuit refrigerantibus caloris temperatio & ulteriorum congeſtionum repercuſſio, poterunt ſacculi l. epithemata tonico-reſolventia, è vino & aq. calc. viv. cocta & expreſſa oculo frequenter imponi calida, ad reliquas ſtaſes diſſipandas tonumque oculi roborandum.

Cum materiæ purulentæ nihil quidquam amplius comparet, æger nunc capite decliviore & nonnihil reclinato cubare debet, ut vitreum corpus atque lens cryſtallina in naturalem ſitum ſe retrahant nec non utraque oculi regio in conſuetam reſtituantur capacitatem. Allaborandum quoque ſimul eſt, ut labia vulneris arctius appropinquentur, & æquali lævique conjunctione coaleſcant; Id quod obtinetur, ſi partim ſpe-

---

eee) Omnia pulverulenta oculis indita, ſive ſicca, ſive liquori aut unguento commixta, ſubtiliſſime in pulverem, quem vocant, impalpabilem trita ſunto, ad evitandam frictionem & irritationem bulbo oculi moleſtiſſimam & periculoſam. Vidit Præſes haud ſemel graviſſima incommoda ex ungt. de Tut. minus ſolicite parato & ſabuloſo, in uſum tracto.

ſpecilli averſa ſive convexa parte labia vulnuſculi molliter apprimantu & æquentur quotidie ſemel vel bis : partim inſtillatis mane & veſper tepidis aliquot guttulis ungt. de tut. vel olei ovor. cum ſucco expreſſ rad. ſymph. & tantillo boli armen. in ſubtiliſſimum pulverem redact commixtis.

Inducta ſic exigua cicatrix levem tenuemque imprimit cornea maculam, quæ inſtar tenuiſſimæ albicantis lineæ ſe habet vix percepti bilis, & paucorum modice abſtergentium remediorum uſu, imo & ſponte naturæ in junioribus, magis magisque ſolet attenuari atque dis ſipari. Quodſi etiam paulo latius ſe diffundat hæc macula, viſum tame ægri nullatenus impedit nec offendit, utpote infra centrum corneæ a pupillæ ambitum poſita, ſed formæ ſaltem oculi ac corneæ plenariæ pe luciditati aliquantillum detrahit.

Poſt ſuperatum omne morbi ac operationis diſcrimen abſtinere no modo decet ægrum aliquandiu à lectione, ſcriptione, aëre frigido ventoſo, alimentis nimium calefacientibus &c. quæ tenerum & debi lem à morbo lædere queant oculum; ſed repetitis etiam blandis laxan tibus corpus expurgare atque ſic affluxum ab oculis arcere, imo & to nicis, aromaticis, ſpirituoſis oculum roborare, atque, junctis etian internis reſolventibus & tonicis, viſum acuere. Commendaverim mu tiplici hoc fine repetendas doſes Pil. de ſuccin. Crat. cum mercurio du ci & extract. rutæ ac valerianæ : maſticationem frequentem ſeminis fo niculi, cardamomi, ſaccharo conditorum : Trageam è Rad. valer. ſyl drachmis III. Millep. præpar. ſuccin. præpar. ana drachm. II. ſpeci ceph. M. Pulv. anal. fr. M. c. ana drachm. una, Cort. caſcaril. ſcru II. Trag. arom. G. uncia ſemis, Elæos. aurant. per affrict. unc. un Ol. deſtil. cinnam. guttis IV. M. F. Pulv. D. mane & veſperi quantum tri cuſpides cultri capiunt ex aqua cer. n. tiliæ, naphæ. Palpebræ lave tur mane ac veſperi. Rec. aquæ carbunc. lavend. ſclopetar. ana uncia unam, naphæ drachm. duas, ſpirit. ſal. ammon. anis. drachm. unam, ſpir formic. drachm. unam ſemis. M.

Ita ergo omnibus ſatisfactum puto indicationibus. Supereſt ſu cincta aliquot caſuum practicorum, è praxi & ephemeridibus Præſi deſumptorum, enarratio.

I. CASUS.

An. 1721. d. 10. Septembr. Lutetiæ Paris. vir ſexagenarius fa culo fœni læſit oculum ſiniſtrum ante novendium, unde dolor & bor. Altero tamen die iter 14. leucarum equo ſuſcepit, ubi vento nir expoſitus oculo vehementius dolere cœpit. Ab initio ſatis bene vi

m vero ab aliquot diebus visum penitus eo amisit oculo, acerbisque oculi doloribus ternis est excruciatus, qui tamen nunc evanuere, & inpræsentiarum excoriatio ulcerosa media corneæ convexitate non tantum, sed & sub cornea, inter hanc & iridem, maria purulenta, flava, figuram lunæ crescentis referens, duas lineas ab ora pupillæ (quæ turaliter se habet) distans, sub oculi frictione immobilis apparet, cum inflammatione lnatæ. Hactenus nihil nisi collyria adhibuit evporista.

Imperavi clysma statim injiciendum, à meridie venæsectionem brachii sinistri, cream fomentationem vino, quod vocant, aromatico & aq. calc. vivæ. Materia purulenstatim à prima fomentatione inclinavit ad albedinem. Palpebrarum affecti oculi superiem internam strenue scarificavi ophthalmoxystro Woolhusiano vegetabili, diætam æcepi tenuem, abstemiam. Die 11. Septembr. bene habet, nullibi dolet, digitos eos oculo affecto obversos jamjam visu percipit. Quantitas materiæ purulentæ vitur aliquanto imminuta. Continuet resolventes calidas ablutiones illas sive fomentiones. Noctu imponatur cataplasma è medulla pomi assati, camphoræ & croci ana .V. Die 12. bene dormit & appetit: Visus magis magisque redit: Materia purunta videtur diminui, iris autem remotior à cornea, quam solet, esse. Cataplasmatis nponendi oblitus est, scarificavi denuo palpebras. Fomentet oculum diligentissime ta die. Caput valde supinum reclinavi, fomentans oculum unà, ut materiam purulenm loco moverem, ne omnis uno eodemque loco semper hærens iridem à cornea dillat, atque sic hippum excitet.

Optime successit institutum. Materia purulenta sese in circulum expandit super dis superficiem, corneæ contiguam proximamve. Nullus dolor. Die 13. perparum ateriæ purulentæ albidæ restat in fundo prope circulum corneæ internum & inferiom, rubedo adnatæ eadem, non dolorifica. Cataplasma ante præscriptum imponatur. otus continuet. Die 14. nihil amplius supereſt de materia purulenta. Objecta mediois magnitudinis optime dignoscit. Jam igitur ad ulcus & nubeculam corneæ respicienm. Instilletur in hunc finem quotidie ungt. ophthalm. Woolhus. tepidum, & siho poſt fomentet oculum vino aromatico & aq. calc. viv. ana mixtis, calidis. Victus enior conceditur, vinum adhuc exulet. Applicetur clysma.

Continuata hac methodo & adhibita insuper tertia scarificatione usque ad 20. Sembris inflammatio adnatæ disparuit, ulcusculum corneæ detersum, nubecula mul dilutior, camera oculi anterior pure penitus liberata, naturali tamen paulo amplior, ut iris parum retrocessisse videatur: Pupilla naturalis: Visus distinctus. fff)

II. CASUS.

Stuttgardiæ d. 5. Jun. 1723. ancilla cœlebs, æt. 21 ann. plethorica, rite menruata, olim in tenera ætate poſt variolas superatas in gravem incidit ophthalmiam, ac

f) Consectaria pathologico-therapevtica ex hac observatione practica reliquisque, quæ subsequentur, operosius deducere supersedeo, cum sponte fluant, & passim in hac dissertatione jam sint inserta. Cœterum historias recenseo, prout jam olim in ephemeridibus practicis abs Præside sunt notatæ & conscriptæ.

rebellem corneæ maculam in dextro oculo; unde tamen feliciter eluctata nullo hacte nus laboravit oculorum morbo vel incommodo. Plurimis abhinc annis narium hæmo rrhagiis obnoxia frequentissimis. Nudius tertius cœpit oculus dexter inflammari, doler visus sensim obscurari magis. Adhibuit primum topica adstringentia, dein, suasu chiru gi, collyria resolventia, incassum.

Cum me accederet, observavi pus flavescens sub cornea effusum in prima oculi r gione, cum ulcusculo corneæ cavo externo. Objecta grossiora vix adhuc percipit. Me sium fluxum, quem actu experitur, promoveat jusculis crocatis. A meridie, scil. sih rio postquam ipsam primo videram, puris quantitas valde aucta oram pupillæ jam att git; sed facta palpebrarum scarificatione Woolhusiana notabiliter defecit & dimidia f re parte imminuta fuit puris quantitas. Sacculi resolventes calidi sæpius impositi, noc cataplasma ophthalmicum. (scil. è pomo & camphora) Altero statim die perparu fluctuabat puris adhuc corneam inter & iridem: Visus distinctior. Perrexi sacculis reso ventibus, dicto cataplasmate, semel adhuc scarificatione ocularia, internis absorben bus, temperantibus: unguento de tutia c. ol. ovor. ad ulcusculum corneæ dete gendum, consolidandum: ultimo lenibus purgantibus. Unde brevi oculus rediit ad n turalem statum & functionem felicissime, relicta aliquandiu tenui nebula in loco corn antea exulcerato.

III. CASUS.

An. 1725. d. 8. Nov. Quæstuum provincialium curator quidam, æt. 37 ann vulnusculum accepit ante 14 dies sclopetarium, è minimo globulo plumbeo, qualib rusticulæ petuntur, per superiorem palpebram trajecto in circulum corneæ superiore conspicuo ibidem adhuc vestigio livido. Sanguis hinc oculo stillavit non saltem, sed tro corneam quoque extravasatus, lunæ crescentis figuram æmulans, sincerus, hæsit quot dies, donec flavus atque purulentus factus pupillæ foramen attingeret, tumque se sim atque sensim evanesceret. Pupilla statim à læsione, & adhuc, justo amplior & stracta est versus globuli trajecti vestigium, sicque mydriasin & parastrophen simul p titur. Ab initio quævis objecta satis adhuc visu distinxit, jam autem ab octiduo talpa c cior est hoc oculo, ut candelam lucentem proxime admotam non sentiat, omnis tam doloris expers. Iris à griseo colore naturali defecit in fuscum, vasculis sanguineis tur da. Sani etiam oculi pupilla dilatata nonnihil & segnior est ad motum. Hactenus e themata resolventia in vino cocta, venæsectio brachii &c. abs medico & chirurgo l adhibita, victus autem justo plenior & luminis liberior usus male concedebantur.

Integrum complicati hujus morbi ocularii, cujus curationem die 14. à vuln demum suscepi, cursum enarrare supersedeo. Sufficit huc, quod primo hypopyum absc operatione, medicamentis nempe saltem resolventibus, plene fuerit dissipatum; dein i naturalis color griseus successive fuerit restitutus, imo & tandem visus, ut objecta med cris magnitudinis iterum discernere valuerit, post annum vero denuo obnubilari & l crystallina opacari cœperit. Maximo usui fuere epithemata resolventia & ophthalm xysis, quarto repetita.

IV. C

IV. CASUS.

Fœmina quædam, ſexagenaria major, Tubingenſis, ante decennium fere ophthalia laborans aliquandiu, materiam purulentam flaveſcentem ſub cornea effuſam exhiit mihi cum primum ad eam accederem, viſu jam notabiliter turbato. Operationem popyi abs me inculcatam recuſavit. Igitur ſacculis reſolventibus, in vino coctis, caplasmate, toties jam laudato, oculario medicamentisque internis temperantibus, reſolventibus &c. &c. pugnandum modo fuit. Materia purulenta hinc magis magisque ſenſibiliter fuit reſoluta, ophthalmia plene diſcuſſa & oculo naturalis forma reſtituta; d de viſu actum erat, imo poſt aliquot annos lens cryſtallina albidum cataractæ colom induit. In hoc oculi ſtatu perſtitit optima mulier ad beatam usque analyſin.

V. CASUS.

Tubingæ 1738. d. 2. April. Joh. Mart. Schnaidt, opilio oppidanus æt. 25 ann. buſtus, ſanguineus, pancratice ſemper valens, ante quatuor ſeptimanas in ovili fœnum ordum ovibus ſuis projiciens & ſeſe pronum inflectens culmum iſtius fœni impegit lbo oculi ſiniſtri. Quam injuriam, levem habitam, floccipendens nactus eſt octiduo hinc albidam in medio corneæ convexæ puſtulam, quæ medicamentis abs chirurgo ppeditatis inſenſibiliter quidem reſoluta, dolores vero adaucti ſunt & ophthalmia pater ac puris ſub cornea colluvies quotidie majora & moleſtiora ſumpſerunt incremen. Adhibuit dehinc alius chirurgus facculos reſolventes, in vino decoctos, & collyum inſtillavit oculo, aſt bini oleum & operam perdidere; Nam hemicrania ſiniſtri teris invaluit indies, viſusque obnubilatus eſt magis magisque.

Accerſitus ego deprehendi corneæ mediam ſuperficiem convexam excoriatam, teſam, leviter exulceratam, omnimodam albugineæ tunicæ rubedinem inflammatoam, pus ſub cornea albo-flaveſcens, à fundo regionis oculi anterioris ad pupillam usue adſcendens, quod jam à decendio ibi hærere contendit chirurgus. Luminis vero & nebrarum non modo ſed & groſſiorum objectorum aliqua ſupererat, confuſa licet, rceptio: Pupillæ diameter naturalis, ad luminis tamen adpulſum non æque, ac par eſt, obilis.

Venæſectione pedis, medicamentis internis temperantibus, antiſpasmodicis ad ſam operationem chirurgicam properavi, ideoque omnem ſupellectilem chirurgim, huc pertinentem, adaptavi, & præcepta, quæ ſupra tradidi, ſolicite obſervavi. perationem vero in præſentia multorum philiatrorum, ipſius etiam nobil. Dn. Candati Reſpondentis, primo aggreſſus ſum acu illa Woolhuſiana, quam punctale ſuum cat; ſed obſtitit corneæ & craſſities & flaccida quaſi mollities, quo minus acum, tra nimiam certe vim, infigere, nedum transfigere potuerim. Ideo conſilium cepi arena, &, dimiſſo hoc punctali, acum, qua Woolhuſius ad deponendam cataram utitur, debito corneæ loco facile transfixi, hacque iterum extractâ, vulnusculum latavi mediante forficula; unde tota puris copia ſubito prorupit & per genam defluit, cum aliquali humoris aquei parte, totaque regio oculi anterior ſerenata eſt; corea ne minimum ſubſedit, ſed in priore perſtitit convexitate.

Impoſui ſtatim defenſivum illud epithema albuminoſum, illudque ipſum continuavi per triduum, mane & veſperi renovatum: Retro auriculam ſiniſtram impo veſicatorium juſſi, ac veſperi clysma injici. Nullum ſuccrevit novum pus: Labia vu neris conſolidationi proxima: Dolor omnis ſtatim prima nocte evanuit.

Superato feliciter primo hoc triduo applicari corneæ juſſi, bis quotidie, ung de Tut. cum exigua portione olei ovor. ſacculos vero reſolventes & toniços, in vi decoctos, interdiu crebrius, noctu cataplasma pomatum illud. Unde & deſidera corneæ lævities & pelluciditas reſtituta, vulnus optime ac terſiſſime conſolidatum, viſu que brevi tempore in integrum reſtitutus fuit, ita ut in hunc usque diem vix ac ne vix quidem appareat veſtigium priſtini nec mali, nec operationis.

TANTUM!

PRÆSIDIS EPIPHONEMA.

PRæfationem omiſi, ne Diſſertatio, ſatis ampla, in nimiam excreſcen molem, quamvis, quod alibi quidem jam monueram, in illa repete animus fuerat, me in poſterum pro ejusmodi diſputationibus publi themata electurum eſſe potiſſimum ophthalmiatrica, ut cœptam utiliſſi atque difficillimi hujus penſi telam ſucceſſive pertexam, & integrum op quod concatenati tot alii labores jugiter interrumpunt, vel tandem ſolvam, ſi DEUS vitam viresque conceſſerit. Gratum vero non ob h ſaltem monita adnectenda mihi fuit hoc vacuum, quod ad calcem diſſ tationis ſe obtulit, ſed ideo etiam maxime, quod hinc locus ſimul, cet nimis anguſtus, pateat, ſolida TUA ſtudia, *Nobil. & Clariſſime Do ne Reſpondens*, TUOS pariter egregios profectus, ac probatiſſimos mo publice laudandi, *TE*que exteris, quos mox ſalutabis, decenter co mendandi. Cum vero ab ineunte non modo adoleſcentia, ſed maxi etiam integro fere luſtro, quo medicinæ operam dediſti, ſic apud nos geſſeris, ut non modo de *TE* porro bene ſperare, ſed & confidere lice Itaque nec effuſis TUI encomiis, quorum apud alios non ſemper tuta fi eſt, nec prolixa commendatione, qualis, niſi ſe ipſum commendet ſ jectum, inanis eſſe ſolet, *TE* atque lectorem morari volo, ſed in finc deſinere vota pro felici & itineris & reliqui TUI inſtituti ſucceſſu, DEI honorem promovere, rei literariæ & ægrotis adjumento eſſe, a quum ſtirpis Gmelinianæ decus exornare, Ipſeque omni proſperitat genere beatus vivere poſſis diu atque valere. Itaque vale, & me po bene ama. Dab. Tubing. mens. Mart. Anno 1742.

)o(